Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
A
16
NAPOLI

Google

Digitized by Google



Medicinæ Theoreticæ Medulla, seu Medicina animi et Corporis.
Si tuū Medicinæ stu diū ad animum direxeris, Rex eris.
Si solūmodo ad Corpus, seruus eris.
Io. Lenfant f.
PARISIIS
Apud Edmundum Couterot via Iacobæa

BIBLIOTECA NAZIONALE
V. EMANUELE III

# MEDICINÆ
## THEORETICÆ
## MEDVLLA,
SEU
## MEDICINA ANIMI ET CORPORIS.
## AD IATROPHILVM.

*M. PAVLI DV BE', DOCTORIS Medici opus, non modo Philoſophis & Medicis, ſed etiam Theologis perutile.*

PARISIIS,
Apud EDMUNDUM COUTEROT, viâ Jacobæâ, ſub ſigno Boni Paſtoris.

M. DC. LXXI.
*Cum Privilegio & Approbatione.*



# SVPREMO
## OMNIUM MEDICORUM
# MEDICO,
## CHRISTO ΘΕΑΝΔΡΩ.

*CHRISTE Androphile, qui è cælis in terras tanquam ſummus Medicus, magnum jacentem Ægrotum curaturus deſcendiſti*; ſanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo; *qui Solis inſtar benefici* pertranſiiſti benefaciendo & ſanando omnes, *& non tantùm hominis corpus, ſed & animam profuſiori liberalitate & ſummo amore, ſalute, ſanitateque perfudiſti: Da ut noſcam* verba quæ loquutus es nobis, quæ ſpiritus & vita ſunt. *Nec enim poſſum capere*, niſi mihi datum ſit: *Da ut intimè* Matth. 5. Ioan. 6. Matt. 19.

*cordi inſculpta inhæreant, tanquam cæleſtis animarum Medici Aphoriſmi, primæ ſanctæque Philoſophiæ Chriſtianæ Oracula. Da ut mihi omnium Medicorum minimo, Medico mendico non minùs anima quàm corpore, conceſſum ſit, utriuſque affectus & pathemata ſincero animo, mente rectâ, divino afflante tuo Spiritu pandere & curare. Da, ut quod ſummum eſt pateat, & quod minimum eſt, non lateat. Da, quæſo, indocto quod doctis; inſipienti quod ſapientibus denegaſti: Præſta parvulo ſapientiam* quam abſcondiſti à prudentibus & revelaſti parvulis. *Averte, quæſo, à me hunc ſpiritum, quem dæmon qui officia fere omnia vitæ civilis conſpurcavit, multis plerumque Medicis influit, quo liberalitatem Dei ſervitutem faciunt, & toti faſtu ſucceſſus tumidi, ſibi arrogant quod ſoli tuæ potentiæ & virtuti debet imputari. Amove illam à me nequitiam, quâ naturæ in Medicina tanquam Deo litatur; quâ rivulo quod fonti; quâ effectui quod archetypo, radio quod Soli, & fortunæ, tribuitur quod tuæ ſapientiæ,*

*tuæque debetur providentiæ. Amove ab animo, erroris & invidiæ ſpiritum, Medicis adeo familiarem, ut in eo ſubjecto, in quo errare piaculum eſt, nulla noxa, nulla pernicies accerſatur. Fac ut ſic abſtraham à materia, & ab objectis corporeis, ut nihil impuritatis, nihil noxiæ libidinis contraham: Nec enim* vocaſti nos *ad Medicinæ praxim* in immunditiam, ſed in ſanctificationem, *non vocaſti ad ſordes admittendas, ſed eluendas. Averte à me illam cordis duritiem, quæ mentem & oculos ab egeno laborante amovet. Fac noſcam tua te jura inopi conceſſiſſe & ægrotanti, ut cùm huic liberaliter pharmaca, illi eleemoſinam erogavero, tibi, Chriſte, utrumque obſequium crediderim præſtitiſſe, cùm nullum tibi poſſit eſſe acceptius ſacrificium. Eges quippe cùm eget, alges dum alget, doles dum dolet; adeoùt te, Chriſte, manu medicâ curatum poſſim affirmare, dum hujus Medelæ beneficio, æger inops fuit priſtinæ valetudini reſtitutus. Non pudeat, nec pigeat tui amore, potiùs ire* ad domum luctus quàm ad domum

convivii. *Sic verba compone, ut animarum languentium non minùs quàm corporum, ſint remedia.*

*Sed, amantiſſime Androphile, concede ut corpus humanum quod corporeorum & incorporeorum orizon eſt, & tuæ virtutis miraculum, attendam, ſicut ſalutis noſtræ organum & Spiritus tui curam. Fac ut Vegetabilia, Animalia, & Mineralia quæ in uſum medicum cadunt, ex tuo fœcundiſſimo liberalitatis fonte, non ex natura tantùm penu deprompta, ut bonitatis immenſæ* ἀγάλματα, *potentiæ tuæ* τεκμήρια, *& amoris erga nos tui impreſſa veſtigia, exiſtimem. Sic mentem dirige, ut legitimum tibi in Medicinæ cognitione obſequium, juſtum in ejus praxi ſacrificium, debitum in utroque miniſterium, tuo juvante Spiritu, continuò tibi offeram, & ad te tandem charitatis adminiculo, in felicem æternitatem perveniam.*

# TOTIVS OPERIS
# RATIO.
## LECTORI BENEVOLO.

Miraberis forſan (Lector benevole) quòd liber hic Medicinam Corporis ſimul & Animi exprimat, quod utriuſque ſanitatem & morbum, virtutes & vitia complectatur: Inſolens quippe videbitur Titulus hic, qui immiſsâ in alienam meſſem falce, aliena à ſuo ſubjecto pandit, & inauditum Medicinæ & Theologiæ profert commercium.

Verùm mirari deſines, ſi Medicinæ ſubjectum apprimè noveris: neque enim hominis ſolum corpus, ſed homo ipſe animo conſtans & corpore, divinorum, caducorumque particeps, hujus ſcientiæ ſubjectum proprium eſt; cujus ſanitas completa ex utriuſque incolumitate ſcaturit. Ex illo etenim firmiſſimo vinculo, quod corpus animo conne-

ctor, ex illa ſocietate & ſympathia; quæ utrumque intercedit, animus ſine corpore, corpus ſine animo valere nequit; quia amborum ſocietate gaudet. Hinc anima, cæleſtis licèt & divina, ſordido hoc & terreſtri corporis conſpurcatur commercio, & mortalium rerum ſaburrâ obruitur, quaſi rationis & intellectus lumen densâ corporis nube obtectum obſcuraretur. Hinc corpus ſimili fere damno involvitur, dum animus pathematum ephodo agitatur, aut vitiorum ſorde inquinatur: quaſi ex Platonis ſententia, bona omnia & mala, virtutes & vitia ex ipſo animi fonte in corpus, totumque hominem, non ſecus quàm ex capite in oculos defluerent ac emanarent. Hinc expetenda illa σωφροσύνη quæ cupiditates amputando, corpori non minùs ſalubritatem quàm animo tantopere commendatam à Philoſophis εὐθυμίαν conciliat.

*In Charmide.*

Sed ut veritas hæc magis pateat, conſule, quæſo, Hippocratem, ſummum illum Naturæ Genium; qui inter eximia Medicinæ opera, ele-

gantiſſimum, de Probitate Honeſtateque librum edidit, in quo Medicinæ cum Sapientia, Sapientiæ cum Medicina legitimum eſſe connubium aſſerit, ibique Sapientem & Medicum Deo ſimilem profert, eumque multa & præclara poſſe in Medicinæ praxi, ſi Deos colere, ſi Diis concedere, & in eorum cognitione cogitationeque plurimùm verſari noverit.

Nec abſimilis Hippocrati hac in re eximius Galenus fuit, qui non minùs animi quàm corporis ſedulus perſcrutator, illius affectus, iram, excandeſcentiam, timorem, mœrorem, invidiam, vehementem cupiditatem, amorem & odium, non tantùm exprimit; ſed generoſo animo docet, turpe eſſe quempiam multos annos deſudare, ut vel Grammaticus vel Medicus fiat, ut autem in virum bonum evadat in tanto temporis curriculo, numquam ſibi quidquam laboris inſumere. Mirare quæſo, Philoſophe, Galenum; mirare, Medice, qui gyros ſyderum & oceani ambitum non minùs quàm

alta montium, altiſſimoſque lapſus fluminum contemplaris: qui partium ſympathiam, connexiones, figuram, ſubſtantiam, ſimmetriam, proportionemque tam ſedulò rimaris: hæc enim fere ſemper ſicco pede pertranſiiſti, & numquam forſan ad animum tranſtuliſti. Ille enim ſummus vir Galenus, non tantùm animi affectus adumbrat, ſed etiam leges virtutes adipiſcendi præſcribit: Unam eſſe viam ad modeſtiam per continentiam inſinuat; vitia invidiæ fœdiſſima, aliaque increpat; & ſapientem profert omnino à peccato immunem, proindeque non hominem, ſed Deo perhibet non abſimilem. Illa certè tam vera, tamque illuſtria de cognoſcendis curandiſque animi affectibus monumenta locupletaſſet eximius ille Medicus, ſi animam immaterialem agnoviſſet. Dubitare quippe videtur an ſit materialis nec ne, dum ejus vires & potentiam exquirit. Et certè illud fere fuit omnibus veteribus Philoſophis & Medicis incognitum, qui in denſa verſabantur rerum caligine,

neque enim ſola vi naturalis ſcientiæ potuit animæ cognitio explorari, quæ ad angelicam propiùs naturam accedit ratione cognitionis, originis, æternitatis & beatitudinis. Non potuit igitur Galenus in cognoſcendis curandiſque animi affectibus ulteriùs progredi; non potuit ſuis tenebris involutus, majorem lucem poſteris expromere, nec ſeſe magis ab intricatis illis dubiis extricare, ſed potiùs difficultatem hanc, majoris luminis defectu, magis involvere quàm evolvere.

Verùm num deberet pudere Medicos Chriſtianos, quibus Evangelicæ legis ſplendor effulſit, quibus datum eſt ſinceram veritatem & ſolidam ſapientiam, è ſummo Verbo in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, eruere, ea tantùm quæ corporis & carnis ſunt attendere, & quæ ſunt mentis & ſpiritus demiſſo in terram animo aſpernari? Num, inquam, pudere deberet ſolummodo corporis paſſiones & vitia adumbrare, & opus à Galeno de cognoſcendis & curandis animi affectibus à

ſexdecim ſæculis inchoatum, Chriſtiano penicillo non perficere? Si enim mirabilis ille Naturæ interpres tam eximiam doctrinam Religionis cultu de coraſſet, nihil certè mutilum poſteris reliquiſſet; ſed indefeſſo labore ſuam operam in abigendis pathematis & in expugnandis animi vitiis non minùs quàm corporum morbis, inſumpſiſſet.

*Lib. 1. natural. Hiſtor.* Furor eſt igitur & profectò furor, (ut cum Plinio loquar) egredi ex homine; ſed quia homo non minùs animum quàm corpus ſanàt, maximus certè furor eſt, corporis ſanitatem & morbos attendere, & animi virtutes & vitia in tanta corporis & animi ſocietate prætermittere.

Et certè, ſi rem velimus ad amuſſim penſitare & Chriſtiano oculo inſpicere, quid æquius expeti poteſt, quàm utriuſque, animæ ſimul & corporis, paſſiones uno oculo inſpicere, una & eadem manu depingere? Numquam enim anima ſine carne eſt quandiu in carne eſt, ut vult Tertullianus; nihil non cum

*De Reſur. carnis.*

illa agit ſinequa non eſt; artes per carnem, ſtudia, ingenia per carnem, *Idem l.6.* atque adeo totum vivere animæ, carnis eſt, ut non vivere animæ nihil aliud ſit quàm à carne divertere. Sicut enim nulla omnino anima ſalutem poteſt adipiſci niſi dum in carne eſt, ſic corpus, ne momento quidem ſine anima poteſt ſubſiſtere; imò horrenda cadaveris ſpecies eſt: ut hinc diſcas tanto uniri commercio, tanto jungi fœdere, ut unum altero indigens, utrumque mutuo foveatur ſubſidio. Sic Religio quæ naturam non deſtruit, in auguſtioribus myſteriis animæ conſulit ſaluti corporis famulatu. Hac forſan ratione Sacramenta novæ Legis, licèt ſanctificationi animæ præſertim conſecrata, conjunctim tamen utramque partem hominis, corpus ſcilicet & animam ſpectant; nec priùs hominis voluntatem inviſibili gratiâ perfundunt, quàm ſigno viſibili corpus ſigillarint: Unde, ex mente ejuſdem Tertulliani; *Caro abluitur ut* *Idem.* *anima emaculetur, caro ungitur ut*

*anima conſecretur ; caro ſignatur ut anima muniatur ; caro corpore & ſanguine Chriſti, veſcitur ut anima Deo ſaginetur.* Vides, Lector benevole, animæ & corporis myſteria ex utriuſque connubio. Ipſæ quippe virtutes minori hominis parti ſuam debent originem, & niſi ipſe ſanguine & carne conſtaret, nec Deo libare per ſacrificia, nec per pœnitentiam Deo poſſet ſatisfacere. Virginitas quippe de bonis corporis Deo adoletur, & ſi ſpiritu inchoatur, corpore perficitur : Jejunio corpus maceratur ; ut anima ſaburrâ carnium expedita depuretur : Martyrium ipſum non niſi in carne conſummatur, & anima expers corporis nec beſtiarum præda poteſt eſſe, nec de tyrannis reportare victoriam : ut corpus ſignatum eſt Dei vultus lumine, manuum Dei opera eſt, ingenii ſui cura, ſic ejus Sacerdos eſt & victima.

Diuinum igitur quid eſt corpus talibus dotibus decoratum, quod in ipſo animi commercio, Medicinæ Chriſtianæ oculo debemus ſedulò obſervare :

obſervare : & hac forſan ratione non ſolùm Ægyptii, ſed & Hebræi, non niſi è Philoſophis & Medicis Sacerdotes elegerunt, ut intelligamus, ex mente magni Caſſiodori, in ipſa Medicinæ divina arte, quodam ſacerdotii genere Sacramenta nos conſecrare. Scio quidem quemlibet hominem in hunc mundum tanquam in ſacratiſſimum Templum introduci, ut ritu Sacerdotis ſibi eſſe vivendum intelligat; ſed ſciat Medicus ſe debere corpus hominis accuratiùs contemplari, tanquam lucidiſſimum ſpeculum, in quo Deum intuetur; vel tanquam humanæ divinæque ſapientiæ ſacrarium, ut hujus miniſterio velut Sacerdos conſecretur. Ut enim Deus hoc hominis Templum, tanquam ſuorum, operum elaboratiſſimum opus poſtremum efformavit ad ſui imaginem; ſic Medicus cui hoc opus commiſſum eſt, ſolus veluti cuſtos aut Sacerdos, tuetur, ac veluti continuatâ productione conſervat. Hinc forſan Pagani delubra templaque antiquis Medicis devo-

*Plato 5. de Rep.*

verunt, & divinis propè honoribus eos coluerunt, quod divinum hocce hominis templum ſuâ arte conſervarent. Hinc fortè nefarii Imperatores in hominum ruinam nati, Medicinam ſuis curis hominum conſervationi incubantem cum Aſtræa relegaverunt, exilioque damnârunt, ut non minùs Religionem quàm Orbem cum Medicina occultè diruerent.

Quòd ſi è Medicorum cœtu in lege naturali apud Ægyptios Sacerdotes electi; ſi in lege veteri Summi Pontifices, quis non videt ex eadem Medicorum familia in ſanctitate novæ legis à Chriſto promulgatæ, Sanctos delibatos, qui remedia & verba tanquam animæ languentis, ut & corporum infirmorum Medicinam ſalutarem protulerunt? Appello vos teſtes, Medici ſanctiſſimi, qui non minùs Medicinæ ſinceritate, quàm vitæ integritate cælos adiiſtis: vos, inquam, appello teſtes, qui ſcientiæ lumine & charitatis affectu animas & corpora curanda ſuſcepiſtis. Inter quos

recenſere licet in primis Eccleſiæ ſæculis, Lucam Medicum chariſſimum, ut & Coſmam & Damianum, Urcicinum & Panthaleonem, alioſque innumeros; & in poſterioribus multos Medicos, qui non tantùm Epiſcoporum, ſed etiam Purpuratorum Eccleſiæ Principum, imò Summorum Pontificum dignitatem ſunt adepti. Tam ſacra, Lector benevole, Medicina res eſt, ut Chriſtus omnium ſcientiarum author ſeſe non Rhetorem, non Philoſophum, non Juriſconſultum, ſed Medicum profeſſus ſit: cumque orbi ignotus eſſet, non auro, non imperiis, ſed morborum remediis ſeſe in hominum animos inſinuarit: unde eo ſpiritu mittens Chriſtus Apoſtolos, eis curandi infirmos facultatem eſt elargitus. Nos igitur Medici, Chriſti, & Sanctorum filii ſumus, quorum æmulatione non ſolùm eliminandis corporis, ſed etiam animi vitiis debemus ſedulò incumbere, quod præſertim in nova lege præſtare licet, quâ *tranſlati ſumus de* Gal. c. 5.

*morte ad vitam, quâ mundati ab inquinamento carnis debemus ſpiritu ambulare, & deſideria carnis non perficere: Qui* enim *ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem, qui verò ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* *Gal. c. 6.*

Hæc eſt Medicina nova in novitate Spiritûs, quæ mentem afflictam in ægro corpore ſolatur, & convenienti præſidio utrique opitulatur; niſi enim ſpiritu, mentis non ſecùs quàm corporis, cures affectus, parum certè proficiet, & in hac parte receditur, ſi non arte ad animum proceditur; qui cùm ſit corpore dignior, ſanitas ejus præſtantior ſit oportet, ſicut morbus calamitoſior, in cujus curatione cautelâ majori opus eſt; morbi quippe corporis ſuis ſignis explorantur, & contrariis remediis eliminantur; animi verò, ſui ſenſum ægrotantibus adimunt, quod ea pars laboret cujus eſt judicare.

Eſto igitur Medicina hæc animi ſimul & corporis, quæ ſi legitimè ſuſcipiatur, erit

*ſacra, juſta, ſalubris,*
*Hanc Myſtæ, Medici, Iuridicique colent.*

Eſto, inquam, Medicina hæc, ſacra, ut Theologum; juſta, ut Philoſophum Moralem; ſalubris, ut Medicum officiosè juvet: Nec mihi Medico neuter debet invidere; communi enim quâdam ſocietate homo unius & alterius idem ſubjectum eſt; qui cùm ſit majoris mundi epitome, non minùs quàm ſummi Dei expreſſa imago, debet ab iiſdem & attentè & fideliter conſiderari: Licèt enim Philoſophus Moralis, animi pathemata; Theologus virtutes & vitia; Medicus corporis ſanitatem exploret; ita tamen ut nec illi corporis incolumitatem functionibus ejus obeundis neceſſariam, nec ille affectus animi negligat, qui functionum naturalium œconomiam interturbant, & ſeditionem in illis ſæpiùs concitant.

Opus hoc, fateor, immenſi laboris, quod genium ſummum poſtulare videtur, qui ſublimi ſtylo

rem hanc fortiter adoriatur, & viriliter perficiat: ideoque mihi viam ad hoc inviam credere debui, cùm vel ab ingenii mei exiguitate, vel à Medico negotiis præteritis defeſſo, præſentibus occupato, nihil tale ſperare liceat. Verùm quia opus id credo cum eo flumine habere analogiam, in quo ſi Elephas natat, in eo agnus poteſt ambulare, non omnino mihi præcluſam viam eſſe exiſtimo. Liceat igitur ſequi quò animus, vel potiùs quò Dei ducit Spiritus; liceat Medicinæ Theoreticæ Medullam ſic tibi aperire, Lector benevole, ut te nec verborum inopiâ ſuſpenſum teneam; vel copiâ non obruam: Liceat ſic rem detegere, ut hujus ductu falſum dijudicare, verum exquirere, & rerum omnium cauſas valeas intueri.

Quòd ſi rem integram non habeas, æqui bonique mentem meam & deſideria conſule: Utere, amabo, Medicina corporis, fruere Medicina animi, & mihi ignoſcendo animo meo gratulare, qui animo non

minùs quàm corpori gratulari volui: ſic animæ ſaluti conſulas, ut non obſtes ſanitati corporis; ſic proſis corpori; ut animæ integritati non officias.

Sed ut tibi magis hæc animi & corporis Medicina innoteſcat, habebis veram veri Medici Ideam, & in primo Phyſiologiæ Corollario, ex ſubjecto & definitione Medicinæ quæ adjectio & detractio eſt, veram tuiipſius notitiam, veræ animi Medicinæ, ut & Naturæ Naturantis imaginem, percipies. In ſecundo Corollario proprium animæ temperamentum, quod amor eſt. In tertio, fœdam tuiipſius in humorum corporis luxurie originem. In quarto tuam in Deum juſtitiam, dum partium corporis detegit officium. In quinto Spiritus interioris qui divinus eſt, in ſpiritu corporeo deteges miniſterium: Et in ſexto divinæ agnoſces Gratiæ imperium, dum facultatum ſimul & functionum cognitionem aperiet.

In-Pathologiæ Corollariis diſces per affectum morboſum qui corpus

atterit, animæ valetudinem conciliare. In morborum cauſis, cupiditatis tyrannidem, quæ omnium malorum cauſa eſt, effugere: in ſymptomatum ſævitia, miſeriæ humanæ ſortem diſces ad animæ tuæ medelam: in Prognoſi ſalutis & reprobationis ſecura argumenta, & in rerum non naturalium moderato uſu, ſanitatem corporis & animi reperies. Sic inchoatur, ſic perficitur Medicina Animi & Corporis, quæ ſi utrique ſalutaris eſt, ſpem, vota & deſideria mea, Dei beneficio & gratiâ ſuſcepta, adimplebit.

VERA

VERA

# VERI MEDICI

# IDEA

## AD IATROPHILUM.

1. CUm recta ratio, regula ſit omnes actus humanos dirigens, nullusque ſit qui poſſit ſine recta ratione exerceri, nec ratio ſine ſcientia dirigi; inc fit ut qui munus aliquod ſive officium ſine ſcientia aggreditur, inſtar illius ſit, qui ſine velis & remis procelloſo mari ſeſe audet committere, naufragium tandem facturus: unde naturali lege, humanâ & divinâ ſancitum eſt, ne quis artem quam ignorat, exerceat, cùm non poſſit id feliciter præſtare, cujus cognitionem labore & diligentiâ non eſt aſſequutus.

2. Si verò in vita civili aliquid ſit

quod ſcientiam & notitiam expoſtulet, ſtatus Medicinæ eſt, quæ cùm præſentem ſanitatem ſervare, eandemq; abſentem reſtituere ſuſcipiat, Methodum certam & ingenioſam debet ſuppeditare, quâ quod deficit, addat; quod redundat, auferat, ut animum certis principiis inſtruat: ſi enim ars eò acriori judicio colenda eſt, quò præſtantior; nulla eſt quæ tantam ſollicitudinem & induſtriam expetat quàm Ars Medica, à qua ſanitas hominum pretioſiſſima dependet, quæ certè ſummum bonum eſt, non niſi ſummo pretio laboreque comparandum. Bonum, inquam, quod præſens omnibus bonis anteponitur, quod abſens omnibus votis expetitur: *Non eſt* quippe *cenſus ſupra cenſum ſalutis corporis*, meliorque cenſetur mors quàm vita quæ ſine ſanitate traducitur. *Eccleſ. c. 3.*

3. Quia verò in tam difficili ſemita ducem eligere operæ pretium eſt, qui viam multis inviam aperiat; animumque neceſſariis præceptis imbuat; Hippocratem & Galenum vocabis in auxilium, Iatrophile;

illum velut rationalis Medicinæ principem, hunc ejuſdem vindicem & aſſertorem. Ille tantam ubique in ſcriptis benignitatem exhibuit, ut ſcripſerit, ſcieritque nihil quod neſcire nos voluerit: hic verò Medicinam adeo locupletavit, ut interpretationis claritate & eloquentiâ nulli ſit poſtponendus. Horum ductu Medicus, ſedulus Naturæ perſcrutator, totius Phyſiologiæ ideam aſſequitur; principia, temperamenta, uſum partium, ſpiritus, facultates, functioneſque explorat; res non naturales, ut & morborum cauſas, ſignaque perſpicaci rimatur ſagacitate, & indicationis ope (quæ vera Dogmaticorum Cynoſura eſt) morbos quoſlibet conatur abigere. Sic mentem Hippocratis aſſequi licet, quem multi proferre multùm ſatagunt, ſed minimè referre. Sic ex ipſo utriuſque fonte, puriſſimam doctrinam haurire præſtat, quàm rivulos conſectari; ſi enim multos Authores ſequi nitaris, hujus veræ doctrinæ, velut lucidiſſimæ gemmæ ſplendorem, nitoremque obſcura-

bis. Multum, fateor, ineſt laboris, Iatrophile; ſed credas velim vitam tuam, cum limâ hac atteritur, maximè conſpicuam ſplendeſcere.

4. His principiis Medicus veram ſibi Medicinæ ſcientiam comparat, cujus lumine opinionem ignorantiæ aſſeclam continuam ablegat; nec tantùm opinionem, ſed etiam analogiam & ſimilitudinem fugat; cùm enim ſimilitudo multis impoſuerit, rerum diſſimilium ſimilitudines, & ſimilium diſſimilitudines lance Medica diſcernit, vires languidas & effœtas ab oppreſſis oculatâ prudentiâ diſtinguit, & quod in arte ſummum eſt, adeo videtur eſſe œconomus occaſionis, quæ totius curationis anima eſt, ut nihil ex iis hac in parte omittat, quibus æger poteſt ſanitatem adipiſci.

5. Verâ hac & ſecurâ ſcientiæ Hippocraticæ luce, pelluntur tenebræ inſcitiæ, quæ malus theſaurus eſt, malaque ſupellex. Si enim inſcitia poteſt eſſe funeſta, maximè in Medico, in quo homicidii crimen eſt in hominis ſalute peccare. Talis

quippe Medicus variis erroribus obnoxius, nova peſtis in patria, novaque hominum ſepultura appellatur. Ut autem inſcitia alacritatis, fiduciæ, ſecuritatiſque expers eſt, ſic temeritatis eſt timiditatiſque fœcunda nutrix; timiditas quippe artis præ ſe fert in exercendis operationibus ignorantiam; temeritas artificis detegit imperitiam, quæ latiſſimam viam ad hominum funus & internecionem aperit: ſicut enim caſus in ſapientis Medici non admittitur conſilium, ſic nullum erit temeritatis cum vera eruditione commercium.

6. In ipſo autem Medicinæ limine, ut & tenebroſo inſcitiæ lumine, in periculoſum poteſt Medicus Chymiſtarum ſcopulum impingere; qui decipientibus ſuis idolis ejus menti tentant illudere; nam fumoſi illi Myſtæ mineralium metallorumque arietibus, incurabilium morborum curationem pollicentur, & glorioſis titulis præconiiſque tumidi, quaſi θαυματοῦργοι ſe ad Medicinæ faſtigium jactitant perveniſſe. Sed me-

omittere, dum ſolitis non cedunt remediis, ſummæ eſt pertinaciæ. Cùm enim obſervare liceat quotidie in uſum medicum & ægrorum ſubſidium, aquas minerales feliciter admitti, quæ in ſinuoſis terræ mæandris Mineralium ſpoliis & qualitatibus imprægnatæ, ſanitatem liquidam videntur effundere; ſic Mineralia nobis poſſunt multa legitimè ſupeditare commoda; ſi arte ſedula concinnata ſunt & elaborata; ſed præſertim ſi oculata prudentia & manu Medica ſint exhibita. Tali quippe œconomia, ſcientiæ decus, ægro ſubſidium, ſine ullo famæ diſcrimine poſſunt conciliare. Nec poſſum quin hic accuſem quorumdam Medicorum ſocordiam, dum Chymiſtis periculoſos committunt affectus, ut in iis ſua experiantur remedia; cùm enim aliquando contingat, ut temeritas eos juvet quibus ratio non profuit, nos hoc concuſſæ mentis terrore potiùs quàm propria eorum virtute reddimus conſpicuos. Pronuntiato igitur periculo, ea debemus extrema ag-

gredi in extremis, ut cum prudentia Medica extrema adhibeamus, cum ſatius ſit anceps experiri remedium, quàm nullum. Etenim quando ingruunt tempeſtates, remedia etiam cum temeritate rapienda ſunt (ut ait Celſus) & periculum in extremo morbo aliquid periclitari permittit. Imò in præcipiti malo multa fiunt à perito Medico, quæ aliàs eſſent omittenda; hoc quippe pacto Ardelionum retundetur inſolentia, qui temerario auſu & ſalutis diſpendio, ſua Mochlica in quovis affectu exhibere non dubitant.

8. Victricem igitur Medicinam rationalem tanquam ducem ſequatur continuò verus Medicus, quæ etiam in extremis, methodum exhibendi Chymica remedia inſinuabit: ſed præſertim in quovis occurſu ea ſuppeditabit præſidia, quorum Majores noſtri tulere pericula; quæ recta ratione, quæ longo uſu nobis tranſmiſſa, quæ oculatâ experientiâ comprobata, votis favent ægrotantium, & indicationibus ſatisfaciunt medentium. Ab hac certè Medicina de-

flectere piaculum eſt, quæ tutò, citò & jucundè quantum poteſt, morborum curationem aggreditur, & inter utiliſſimas artes quas ad ſuſtentandam humanæ fragilitatis indigentiam divina tribuerunt, nulla præſtare videtur aliquid ſimile, quàm quod poteſt hæc auxiliaris, ſeu rationalis Medicina conferre. *Caſſiodorus.*

9. Nec ſatis eſt Medico Chymiſtarum dubiis remediis modum imponere, niſi etiam juſtam legem ſtatuat in uſu eorum quæ Pharmacopæi ſecundum antiqua inſtituta ſolent adhibere. Erit quippe conſcius ſi ab adultera ad quæſtum Pharmacia, ea introducantur Pharmaca, quæ familia Arabum, nimia noſtra credulitate in noſtra deportavit ſacraria. Quis enim ea ad pompam magis excogitata, quàm ad noſtram valetudinem inventa non exiſtimet? Quid poteſt, quæſo, in morbis abigendis pompoſum illud remediorum chaos? quid tam diſſimilium medicamentorum indigeſtus acervus? cujuſnam uſus ſunt in febrium incendiis illa Cardiaca quæ in ebulliente & catul-

liente in venis ſanguine, ardorem bilis poſſunt intendere? Scio quidem titulo eſſe ſpecioſa, & magnificis præſtigiis omnium fere animos deludere: ſed certè, ut meam mentem aperiam, pretioſa ſunt tam artis quàm artificis ſcandala, quæ plus habere oſtentationis quàm virtutis fatebitur, qui eorum qualitates trutina Medica ponderabit. Apage igitur fucum, quo Virgo noſtra non indiget; apage ſuperfluum, quod Polypharmacia non ſine artis injuria & publico detrimento in patriam noſtram detulit. Si quis ſit avarus crumenarum emunctor, qui ambitioſè talia aucupetur, tu Iatrophile, ſitim illius comprime; parce quantùm poteris immodicis ſumptibus, ne tenearis illatum pauperi damnum per injuſta illa remedia reſarcire. Suſpicionem initi cum Pharmacopæo pacti, Phylargyriæ morbo exhibebis, ſi ſumptuoſam illam ab ædibus divitis curationem non ablegaveris, quam eò pejorem, quò pretioſiorem reddideris, ſi per manus avari Pharmacopæi præſtiteris.

Talem redde Pharmaciam quæ neceſſaria pauperi & diviti non magnifica, quæ vera non adultera, quæ ſimplicia quantùm fieri poterit, non adeo compoſita, in omnium ſalutem adminiſtret.

10. Alios præter Pharmacopæum miniſtros habes, Iatrophile, quibus imperes; Chirurgum ſcilicet, eoſque qui ægris victum præparant; quos, ex mente Galeni, debes regere, ut architectus fabros, navis gubernator nautas, & dux milites, quibus te comparat. Si enim manum Chirugi ducat Medici ſcientia, ſi fortunet peritia, ſi adjuvat ſolertia, partes diviſas prudenter adducet, continebitque per Συνθέσιν unitas dividet audacter per Διαίρεσιν, & res noxias extrinſecus in corpus immiſſas, aut in ipſo genitas, feliciter extrahet per ἐξαίρεσιν. Sed ut illud in commodum publicum cedat, id age quantùm poteris, ut Chirurgi ſe in officio contineant, ne in alienam ſegetem falcem injuſtam mittant. Etenim facultatum fere omnium Medicarum legibus, ſingulis

annis jusjurando ſeſe obſtringunt, Doctoribus Medicis in omnibus, quæ ad artem ſpectant honeſtis, non tantùm obſequentes fore, ut Præceptoribus diſcipulos, verùm etiam ſe numquam alicui medicamentum laxativum, alterativum aut confortativum ſine Medici conſilio præſcripturos; ſed tantùm ea facturos quæ ad manualem operationem pertinent. O utinam ſic res ſe haberet! hoc enim pacto ægro commodum, ſummum Medicinæ decus accederet.

11. Fruſtra Medicus, ex mente Hippocratis, doctrinam eſſet ſtudio adeptus, fruſtra naturam & ingenium feliciter ſortitus, niſi & moribus eſſet optimus: adeo quippe expetendum eſt artis & morum commercium, ut ſi unum defuerit, melius eſſe videatur Medicum moribus optimis inſtructum, quàm malè moratum perfectum artificem: quia, ut ait Eraſiſtratus, *Modeſti mores quod in arte deeſt, compenſare videntur; culpa autem morum artem perfectam corrumpere, & quaſi mali fermenti adulteratione poteſt depravare.*

Sine hac morum probitate decus ſuum ac veritatem videtur Medicina amittere; & hunc Aphoriſmum debet quivis Medicus admittere; *Divinæ Artis ſcientiam*, cujus ſoror eſt Sapientia, cum vita malè morata non convenire, nec ullam ſanam doctrinam cum inſanis moribus poſſe ſubſiſtere. Quàm bene debet mores regere, quæ Reges regit Medicina: quàm bene animi affectibus imperare, quæ Imperatoribus imperat!

12. Illud autem in primis expetitur, ut humanus ſit qui manus Dei auxiliares, & manus cæli (remedia intelligo), præ manibus habet, ut eorum opera ægrorum miſeriis opituletur: cùm enim Medicus ab ægro reverentiam, confidentiam, & in arduis obtemperantiam exquirat; quomodo ab eo legitimè poterit ea præſtolari, niſi humanitatis in vultu & verbo imagine ſeſe preſtet in illum commendabilem? *Si* enim, ex mente Hippocratis, *humanitas aderit*, *& Artis amor comparebit.* Hujus enim dulci imperio Medicus animum ægrotantis, & fidem ubique ſibi conci- *Lib. de præcept.*

liat; dolorem, ſævum illum naturæ tyrannum demulcet; & dum poſtulat neceſſitas, compeſcit: juxta illud carmen diaulum ſeu retrogradum:

*Mitis ero, retine leniter ore ſitim.*

Hoc humanitatis lepore, hac jucundâ comitate, Iatrophile, *ingreſſus tuus ſoſpitas erit ægrotantium, refectio debilium, ſpes certa feſſorum*; & ſi Caſſiodoro qui hæc profert, addere licet; portus erit communis miſerorum, & domeſtica omnium infirmorum conſolatio. Hoc humanitatis beneficium, Iatrophile, abſcindet medentium noxias ægrotantibus in conſiliis contentiones, quibus videntur inventa ſua maximo eorum damno diſſipare: hos diſcinget ſcientiæ juncta humanitas cõflictus, quos ſolus ſolebat indicare invidiæ affectus; hos, inquam, componet Medicos, qui ſe mutuæ contentionis ambitu excruciant; has invidiæ faces extinguet, quæ Medicis magis familiaris, quàm cæteris artificibus, eorum ſolet virtutes contaminare. Humanum eſt, in arduis conſilium quærere, & in Medicina pruden-

tior habetur, qui conſilio cautior curationem aggreditur: Memor eſto conſilii Hippocratis, qui Medicos obſecrat, ne coram languentibus verbis contendant, cùm nihil ſit quod authoritatem imbecilliorem reddat medentium.

13. Si verò quædam ſit qualitas Medico debita, maximè veritas, quæ non minùs debet eſſe mentis ſuæ condimentum, quàm panis corporis ſui alimentum; cùm enim ſæpiùs in criminum occurſu, Medicus Judicis vices gerat, ejuſque judicio Judices jura decernant, reum ſolvant vel puniant, debet adeo eſſe juſtitiæ veritatiſque tenax, ut nec munerum aucupio, nec amicorum ſuaſu hanc lædat; ſed Deo, ſibi, proximoque conſulens, conſtanter juſtus, veraxque permaneat. Non amat falſum veritatis author, Iatrophile, adulterium eſt illud omne quod fingitur: licet enim aliquando ſub ſpecie quadam boni, multi ſyngrapham à Medico expetant, ut ſimulato (verbi gratâ) morbo pauper carcere ſolvatur, qui non aliun-

de reus eſt, quàm ex impotentia ve-ctigalia pendendi, quibus non minùs quàm miſeriis onuſtus eſt; quia tamen numquam malum faciendum eſt, ex mente Theologorum, ut inde eveniat bonum, quia mali odor numquam bonus eſt; ideo à veritate nullo pacto debet diſcedere. Quod ſi conſuetudinem afferas quæ illud tolerat vel expetit, dic, quæſo, Medice Chriſtiane; Chriſtum numquam ſe conſuetudinem, ſed veritatem appellaſſe: unde illud Pauli; *ad Epheſ. c. 4.* *Induite novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis, propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem.* Hæc eſt veritas, quæ ſi mentem reficit, numquam deficit; hæc eſt veritas cui litandum eſt, quæ os tuum aperire & claudere debet & jubet.

14. Verùm dum ſinceritatem veritati conſulo, cave Iatrophile, ne in garrulitatis vitium incideris; ſi enim moroſa triſtiſque Medici facies ægrotanti crux eſt, Medicus garrulus erit & ipſi iterùm morbus: cave ne ſuſpicionem levitatis mentis

tuæ

tuæ garrulitate exhibeas, quæ tantùm eſt Medici famæ noxia, quantùm ſoliditas ingenii in eo expetenda. Cæterum recorderis linguam in ore eſſe, non in pectore, ut plus ſentire quàm eloqui diſcas, & inania vaſcula magis tinnire, ut ipſo garrulitatis vitio mentis levitatem non detegas. Difficile certè eſt tanta effutire, & ægrorûm tibi commiſſorum arcana non pandere.

15. Nec debes minùs eſſe ab omni oſtentatione & fuco, quàm à garrulitatis levitate alienus: Agyrtarum quippe & Circumforaneorum illud proprium eſt, parvos pro maximis morbos, ſuaſque curas magnifice circumferre, ut rumuſculos apud vulgus captent, & velut Hercules Gallici monſtrorum domitores intrepidi, & ingentium malorum profligatores maximi habeantur. Tu verò inanis gloriæ minime cupidus, potes quidem operum ſucceſſu quadaratenus, ſed citra jactantiam & elatam oſtentationem delectari; imò inter ipſos felicis curationis applauſus, te, ne erres, erroribus obno-

xium animo reputa, ne forte tumidus, temerario auſu contra multorum ſententiam multa aggredi, vel nimis obſtinate tua defendere videaris. Senties brevi ipſiſmet edoctus experientiis, nihil eſſe humani à te alienum; divini eſſe aliquid, in praxi Medica numquam peccare, & humanum eſſe in noſcendis curandiſque corporis humani morbis aliquando errare; in quo ſi aliquid erratum fuerit, non ita facili negotio potes reſarcire. Nolim tamen exiſtimes me illud à te poſcere, ut quod firmiſſimo rationis fundamento nixus ſuſceperis, id contra vulgi turbam non audeas ſuſtinere: imò pro aris & focis in ægrotantis commoda ſic dimicandum eſt, ut opinionem cæco uſu receptam ſumma a imi magnitudine veritati litando, tentes deſtruere.

16. Artem tuam ſine arte exerceas; hoc eſt, cum Collegis libere & candide ſic agas, ut nulli invidioſus invideas: turpe eſſe cenſeas, quod adeo naturali rationi & bonis moribus adverſum eſt, vitio vertere

quod ab alio Medico rectè geſtum eſt, & illius incommodo tuum velle commodum adaugere. Cave igitur, ne quod ab aliis Medicis ex arte præſcriptum eſt, hoc ſtimulo immutes, neve illorum meliori ſententiæ conſilioque puriori, ex livore adverſeris, quod cùm tibi demonſtrationis loco eſſe debeat, tibi etiam damnum ægro illatum reſtituendi, legem neceſſitatemque imponeret. Impium quippe eſt alienam doctrinam & remedia carpendo, damnandoque ſeipſum extollere. Patet injuriis & cavillationibus ignavæ plebis divina hæc Ars, ut minùs pateat eorum inſidiis qui ejus decus tueri & incolumitatem ſervare debent. Si Medicus talem livoris ſpiritum retineat, ignem fovebit in ſinu, ſerpentem in gremio, qui ſuo tandem hoſpiti malam retributionem impendet.

17. Sic ſentias de Artis tuæ dignitate, quæ inter Architectonicas prima eſt, ut in gratiam operis tui ab ægro præmium & honorarium, non ſtipendium accipere recorderis. Sic cautè & prudenter tibi agendum eſt,

ut nihil injuſti immoderatique exigas, ne ægro injuriam facere, tibi turpitudinis & infamiæ notam inurere videaris; hoc quippe pacto ægri in te confidentiam & obſervantiam violares & deſtrueres. Si quid veró admittis, ex ægri ſit arbitrio, quod loci conſuetudinem, ipſiuſque ægrotantis facultates non offendat. Ne, quæſo, morbum graviorem effingas, ut ex ejus magnifica curatione crumenas faciliùs emungas; neve oſtentatione tui artificii ſic tibi ſervias, ut prædæ inhiando majus lucrum arripias. Militum eſt gregariorum prædam ſequi; Ducum, victoriam. Turpe eſſet hanc eximiam Artem quæ toti orbi imperat, hoc tam fœdo Philargiriæ vitio regi & ſuperari.

18. Multa adhuc ſapienter in ſapientiſſimi Senis jusjurando præſcripta ſunt, Iatrophile, quæ nullo pacto debes in praxi Medicinæ violare: ne ſcilicet preces ullius tantùm apud te valeant, ut venenum cuipiam propines; inhumanum quippe eſſet vitam quam tuæ fidelitati tam liberè committit æger, tam nefando ſce-

lere eripere. Ne etiam abortiva remedia prægnantibus aut detegas, aut exhibeas: licèt enim Ariſtoteli in Politicis non injuſtus videatur effluxus ſeu aborſus, ob egeſtatis infelicitatem, quæ nutriendorum natorum libertatem adimit; tamen cuique Medico debet ſceleratus cenſeri: horrendum quippe eſt & nece piandum, naturæ opera corrumpere, & homicidii crimen eſt, fœtui necem inferre & hominem naſci prohibere. Nec, quæſo, ad malitioſum hunc aborſum ulla ratione adducaris, Iatrophile, ut quarumdam mulierum honori, vel hæreditatis juri conſervando conſulas: hæc quippe vis jus omne abripit. Neque etiam in acuto gravidarum morbo aborſus licitus eſt, quippe qui ſæpiùs funeſtus eſt, ipſoquepartu fœtui fœtæque calamitoſior: cùm, ex mente Hippocratis, magis periclitentur gravidæ ſi aborſus interveniat, cùm etiam per illum febris & ſymptomata magis ſæviant, ſæpiuſque vires adeo in partu expetendæ fatiſcant. Verùm recorderis Hippocratem in

ipſo jusjurando ſuadere, caſtam puramque artem & vitam ita præſtare, ut Venerea omnia opera devites, indeque diſcas quantùm virtuti ſimillimus ſummus hic Præceptor extiterit, qui dictis & factis novit in vita integra abſolvere, quæ Medicos poſteros voluit obſervare.

19. Verùm, Iatrophile, majora à te expoſcit Chriſtiana Religio quàm Jusjurandum Hippocratis; nova hæc novi Nomothetæ lex abundantiorem & ſublimiorem à te juſtitiam quàm illius Præceptoris lex jure merito expoſtulat: nova ſacramenta quibus initiaris, novam militiam, novaque arma ſubminiſtrant. Cùm autem, ex mente Auguſtini, *minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur qui ſolus novit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere Medicinam.* Lex enim naturalis, ſub cujus imperio vivebat Hippocrates, ut erat terreſtris, fœda & ſpiritu carnis conſpurcata, virtutum tantùm apparentium ideam exhibebat. *Nec mirum eſt* (ut inſinuat idem Auguſtinus) *quod dantur majora præ-*

*De ſerm. Chriſti ſupra montem.*

*cepta propter regnum cælorum, & minora data ſunt propter regnum terrenum*: ſub hac quippe lege naturali, Medici in praxi ſuæ ſcientiæ, famæ, gloriæ, opibus, cupiditati & fortunæ ſolummodo litabant, & quod maximum, apud ſapientiores hujus ævi, humanitati ſerviebant.

20. Quia verò, Iatrophile, *cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo*, quia nobis lux Evangelii clariſſima affulſit, & datum eſt per gratiam vivere ſub lege Spiritus, quem nobis Chriſtus de cælo in terras detulit; quia *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu ac veritate oportet adorare*; fit ut qui hujus Spiritus ductu ambulant, nec honores ambire, nec pecuniæ inhiare, nec votis naturæ ſatisfacere, nec deſideria carnis tentant perficere: *Neque* enim *vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem: non in paſſione deſiderii, ſicut gentes quæ ignorant Deum*: Etenim in hac divina lege veritatis, ſpiritus vincit ſpiritum mendacii, ratio ſuprema opinionem hominum ablegat, lex

*Luc. 12.*

*Ioan. 4.*

*Pauli ad Theſſal.*

Dei æterna legem temporis abripit, & Evangelii conſilia ſapientiæ humanæ lumen obſcurant. Intelligant igitur Medici Chriſtiani, *intelligant filii Dei*, ut ait Auguſtinus, *Spiritu Dei agi, ut quod agendum eſt agant*: Intelligant, inquam, hujus divini Spiritûs vivere præſentiâ, agere potentiâ, ejus lumine cognoſcere, & charitate diligere. Intelligant eo ipſomet Spiritu duci qui Doctoribus ſcientiam, Martyribus conſtantiam, & Virginibus puritatem, nullo carnis admixtam commercio, conceſſit. Et ut mentem meam aperiam, videant Medici quo teneantur ſpiritu ambulare; ſciant quemlibet Juſtum cujuſcumque ſtatus ſub lege Chriſti militantem, ejuſdem Chriſti imaginem ſub aliqua gratiæ ſuæ differentia debere adumbrare. Ut enim in veteri lege, quæ timoris eſt, quidam Juſti ejus ſacrificium ſuis victimis, alii victorias, ſacerdotium, alii & regni ſui tranquillitatem exprimunt, ſic in lege quæ Spiritûs eſt & gratiæ; Chriſtiani ideam divini hujus prototypi Chriſti debent quantùm poſſunt

*Lib. de Corrept. & Grat.*

in

in ſe efformare. Ut autem Martyres ejuſdem Chriſti certamina, Confeſſores zelum & fervorem, Anachoretæ ſolitudinem referunt; ſic Medici in ſuo ſtatu, qui Chriſtum ſummum illum Medicum in terris degentem imitandum ſuſcipiunt, debent mirabiles ægrotantium omnium medelas quibus ipſe incubuit, ſua praxi Medicâ feliciter quantùm poterunt, ejus nutu & auxilio gratiæ repræſentare. Memineris igitur, Iatrophile, te ad ſublimiora vocitari per eam legem quam ingreſſus es, anguſtam quidem, ſed auguſtam; *ſtrictam*, ſed ſecuram, ut hujus benefico afflante Spiritu, omnia quæ egeris, in propriam ſalutem non minus quàm ægrorum ſanitatem feliciter cedant.

Vt non tam lingua quã vita erudius, nõ tam diſſeras magna quàm facias. *S. Paulin. ep.* 35.

21. Apage igitur à Medicinæ Chriſtianæ ſacrariis quæcumque huic Spiritûs ſanctitati adverſa ſunt: Apage cupiditatem, famam, fortunam, opes, eaque omnia quæ Paganum potiùs quà Medicum Chriſtianum redolent: Si enim conditionis tuæ memor es, in ea qua vivis Spiri-

ſ

tûs lege, Medicum te eſſe, non car-
*Paul. ad Epheſ.* nis tantùm ſed animi, & *fornicationem, omnem immunditiam & avaritiam non nominari in nobis, ſicut decet Sanctos,* recordaberis. Quod ſi dictum eſt ab Hippocrate animi & corporis curationem in unum coire poſſe, ipſius quoque animi affectiones, motus, imagines ad corporis morbos, vel incolumitatem vim habere non
*Lib. de parcæ pilæ exercitio.* mediocrem. Si Galenus aſſerit affectiones animi potius quàm corporis Medico eſſe obſervandas; quod ſint tantò graviores, quantò anima corpore habetur dignior; quin & plurimos ægros ſe ſanaſſe gloriatur ſolis animi motibus ad debitum modum revocatis; quid non præſtare debes, Iatrophile, qui te prius Chriſtianum eſſe quàm Medicum, numquam debes oblivíſci?

22. Illud igitur accuratius in lege Chriſtiana obſervare licet quā apud prophana Ethnicorum dogmata: ſacra quippe Scriptura ſanitatem illi pollicetur qui animæ ſaluti conſulit.
*Matth. 6.* Hinc illud, *Si oculus tuus ſimplex fuerit, corpus tuum dilucidum erit*: per

oculum, animum intelligit, cujus ſpeculum eſt. Unde Chriſtus ſupremus ille Medicus de cælo veniens, magnum ægrotum, hominem ſcilicet in terris jacentem curaturus, animi & corporis curam habuit, ut hominem integrum perſanaret. Medicus verò qui Chriſti refert imaginem, ejuſdem memor eſſe debet, qui priuſquam oblati corpus curaret Paralytici, dixit ei, *Remittuntur tibi peccata tua*, ut priùs ſalutis animæ quàm ſanitatis corporis curam habendam eſſe commoneret. *Fruſtrà*, crede mihi, *rigabit Apollo*, ſeu Medicus, *niſi Deus incrementum dederit*; fruſtrà inſumes in morborum curationem remedia, niſi hujus ſummi Medici opem reclames, ſine cujus influentia omnis ars deficit, ſine cujus præſidio omnis naturæ vis contabeſcit.

23. Quidni ergo præſtabis, Iatrophile, in cujuſvis morbi curandi principio, quod elephantes (ut cenſent naturales Philoſophi) agere ſolent, dum naturæ ſolius ductu ſalutiferas herbas proboſcide in cælum

attollant, antequam ventri indulgeant; quaſi adventanti ſoli ſacrificaturi; ut naturali hujus religionis officio, inde vires mutuentur unde ſola medela, ſecuraque poteſt emanare. Id doceat Medicum non tantùm vegetabilibus & mineralibus, ſed potiùs cælo mentem illuſtranti ſua debere præſidia. Hinc diſcas, ſic tibi animo menteque Deo litandum, ut ab eo tanquam à fœcundiſſimo fonte omnem intellectus tui lucem, notitiam cognitionemque mutueris.

24. Verùm, quia æger non poteſt cæli opem præſtolari; nec Medici ſalutarem manum experiri, niſi priùs animam à vitiorum ſordibus expurgarit; ideo Medicus quàm primum debet ægrotanti in lecto decumbenti, Confeſſionem ſacramentalem proponere, nec ultra diem tertium inviſere, niſi animæ labes hoc ſalutari ſubſidio emendarit. Quod fieri debet juxta conſtitutionem Pii V. incip. *Super gregem*, quam ſe inviolabiliter obſervaturum jurare debet Medicus in manibus Epiſcopi, juxta

ritum Facultatum quarumdam Medicinæ, cùm ad Doctoratûs gradum promovetur. Et legitimè ſanè inſtituta eſt illa conſtitutio, quæ vel pecuniariâ pœnâ, vel infamiæ notâ Medicos delinquentes jure merito mulctat & plectit. Huic tamen ſatisfeciſſe Medicum credunt piiſſimi juxta ac doctiſſimi viri, ſi non in quovis morbo, ſed in gravi & periculoſo, ſeu in eo in quo morale periculum ſubeſſe judicatur, ægrum per conſanguineos, amicos, aut parochum monuerit: nec huic piæ Pii conſtitutioni refragabitur; ſi ægrum confiteri renuentem in periculoſo morbo non deſerat: neque enim contra charitatem præſtare debet in eo, quod ex charitatis affectu ſuſceptum eſt.

25. An verò debeat Chriſtianus Medicus ægro mortem quàm certò vel probabiliter eventuram noſcit, prænuntiare; dubitandi anſam Galenus, Avicenna aliique antiqui Medici præbuerunt; dum in quocumque verſetur æger periculo, Medicum volunt huic vitæ ſpem fovere,

numquam eripere, ab ejus animo quæque triſtitia nuntia ablegare,nec unquam de ſanitate coram ipſo deſ-perare.SedMedicum Ethnicum,non Chriſtianum ſapit hæc ſententia; hic enim non minùs animæ ſaluti,quàm corporis ſanitati conſulit, & ſatius eſſe ducit corpus ex aliqua mœſtitia periclitari, quàm animam & corpus æternis pœnis cruciari. Sic agas, Iatrophile, cum chariſſimo ægrotante, ut animæ ſalutem ſanitati corporis, rationem ſenſui, æternitatem tempori, Deum creaturis anteponas. Sic agas, ut eum mala beſtia, ſeu mors; niſi priùs monueris, non devoret; nec patiaris eum perire antequam domum exteriorem, interiorem ſuperioremque curandam conſulueris. Abeant igitur qui ſecus ſentiunt Medici,timeantq; æternum ſupplicium,quod prędictiEthnici ſibi per animarum paraverunt incuriam. Non inutiliter vixit ille qui bene moritur; vitam Chriſtiani felicibus inchoari auſpiciis, fine felici claudi decet, felixque Medicus qui mediis utitur, quibus æger cælum lucratur.

*U*num metuendum eſt, Iatrophile, ne cætera metuantur: nec ſatis poteſt moneri moriens, qui ſæpiùs obliviſcitur ſui, ſicut vivens oblitus eſt Dei: multis ſanitatis deſperatio, ſalutis fuit felix & ſecura neceſſitas, multiſque nulla fuit ſalutis cura, dum levis ſanitatis cura in morbis affulſit. Victima hæc ſale ſaliatur, ſeu ſic prudentia condiatur, ut ſine ſanitatis jactura æger ſalutem conſequatur. Hoc quidem labore ſeu ſale viventibus nulla tabes infertur, ſed defunctis felix æternitas comparatur.

*26*. Faciliùs verò & feliciùs id ab ægrotantis animo obtinebis, Iatrophile, ſi Medicinam tuam vera Religio & pietas condiat, quæ ut omnia tua deſideria temperare, ſic & ægrotantis mentem poterit dirigere. Hæc cum Medicina tam mirè conſentit, & tanto connubio, ut quidquid vera Medicina conſiderat, Religionem ſuadeat. Scio equidem ſummum mundi opificium, Dei eſſe librum, qui omnibus quidem patet, ſed hunc Medicina feliciùs

evolvit, quæ cùm cælo debeat ſuam originem, de quo Altiſſimus hanc ſuſcitavit, in eo ſuæ originis authorem adorat & ſuſpicit. Sed in humani corporis ſtructura habet aliquid Medicus auguſtius, licèt in anguſtiori ſubjecto, in quo naturæ Numen, Architectum admirabilem, Opificem inimitabilem, velut Solem per radium, fontem per rivum ei fas eſt detegere. In eo Medicus ſubſtantiam, ſocietatem, conſpirationem & actionem partium rimatur, quæ ita concinnè ſunt compoſitæ, ut nec ad uſum meliores potuerint eſſe, nec ad ſpeciem pulchriores; & ſi eas partes exactiùs conſideremus, tot Doctores ſunt muti qui ad ſublimiora animum Medici vocant, ut in iis tanti Opificis bonitatem, amorem & ſapientiam colat & veneretur: imò ſtructurâ mirabili, animæ noſtræ dignitatem nobis inſinuant & inſpirant; cùm enim tam elaborato ædificio debeat hoſpitis reſpondere nobilitas, non potuit perfectiſſimum opus non niſi perfectiſſimam animam, Spiritûs Dei auram,

oris ſui operam admittere, ne indignè collocata ſordeſceret.

27. His ſic ad amuſſim penſitatis, quis, quæſo, Medicus in tanto lumine cæcutire, quis Deum in tam miranda corporis humani fabrica, velut in lucidiſſimo ſpeculo poterit non agnoſcere? Si enim linea artificioſè in arena ducta, hominem id feciſſe perſuadeat, quia nec leo, nec elephas id præſtare poſſunt: ſi Polycletur, ut refert Galenus, ex concinna ſua ſtatua, quæ partium tantum externarum decus referebat, omnium laudes & applauſus meruerit; quis alium præter Deum Maximum talia potuiſſe moliri iactitabit? Quis Opificem non mirabitur, quod partes corporis non tantùm externas, ſed etiam internas perfecerit, hoc eſt venarum labyrintheos plexus, arteriarum mirabiles ductus, cerebri elices, criſtalli in oculis nitorem, aliaque eiuſmodi, quæ Ars licèt naturæ ſimia non poteſt imitari, quæque nos velut manu in Dei cognitionem debent deducere? *Lib.17.de uſu part.*

28. Faceſſant igitur, faceſſant qui

tam impiè & tam iniquè de Medicis augurantur, ut eos ſenſum Religionis exuiſſe; & luto iniquitatis conſpurcatos, ſuccum omnem virtutum depoſuiſſe temerè profitentur: ſi enim *inviſibilia Dei per ea quæ viſibilia ſunt*, ex mente Apoſtoli, *cognoſcuntur*; quis per eos gradus ſecuriùs cælum ſcandere? quis perfectius Medicis in Dei Optimi Maximi notitiam penetrare poterit? Quaſi verò ſummum rerum omnium Parentem non agnoſcerent, qui tam accuratè omnia creata inveſtigant, mundique Conditorem & Architectum non viderent, qui Mineralium, Vegetabilium & Animalium naturam tam exactè perſcrutantur: quaſi verò tam valida divinæ potentiæ argumenta, quæ ultra Sphæram activitatis naturæ ſunt, naturæ Deum eſſe non poſſent ab homine extorquere. Inſana certè eſſet & delira mortalium mens, quæ talia cogitaret. Sed, inquies, omnia Medici ad naturam referunt, eamque tanquam omnium rerum & originem & terminum ſuſpiciunt. Verum quàm miſerè hallu-

cinentur qui talia effutiunt, videre eſt; ſi enim naturæ nomen dictis vel ſcriptis proferunt, ne putes naturam naturatam intelligere, quæ apud ipſos vis eſt formarum inferiorum à ſuperioribus in eſſe & conſervatione dependens; ſed Naturam Naturantem, ſeu cauſam illam primam, quæ à nulla dependens, omnium cauſa & origo exiſtit. Hanc ubi naturam verus Medicus penitius ſcrutatur, Deũ ubique diffuſum nanciſcitur, adorat, veneratur, qui ordini à ſe præſcripto ita inſeritur, ut in illo velut in ſpeculo aſpectabilis exiſtat. Numquam, crede mihi, verus Medicus, Naturam ſine Deo conſiderat, numquam Medicinæ pietas extra Naturam ſummum numen ſuperſtitiosè quærit; ſed in Natura illum ubique ſuſpicit & colit. Qui alia ſentiret Medicum, ſimilem infanti libenter dicerem, qui nutricem lactentem inſtar matris habet, dum ei primum alimentum ſubminiſtrat; ſed grandior factus, matrem agnoſcit, eique ſua ſe debere credit officia, nutricem tantùm velut matris famulam

& miniſtram conſiderans : Etenim legitimus Medicus Medicinam omnem, ut & ſalutem, uni Deo acceptam refert, & naturam ejus famulam, cauſæque ſecundæ ut & inſtrumenti vicem temerè profitetur. Quod ſi Medicos quoſdam videris, qui naturam magis quàm naturæ Deum ſuſpiciunt, dic eos craſſæ inſcitiæ conſcios, dic illud ſic contingere, quia corruptio optimi peſſima eſt, ut peſſimi optima. Dic culpam eſſe ſcientis, non hujus ſcientiæ, quæ ut ſapientiæ ſoror eſt, ſic eò ſuos clientes ducit, ut Deum per ejus lumen & quærant & inveniant. Tu vero, Iatrophile, qui tam ſedulò figuram, quantitatem, qualitatem in tuo ſubjecto rimaris, noli, quæſo in Deo, ut eum noſcas, quærere: Deus enim majeſtuoſum Ens eſt, quod omnia ſine figura replet, ſine quantitate penetrat, ſine qualitate continet, ſine ſollicitudine regit, ſine errore judicat, ſine anima animat. Deus eſt, qui cùm dicitur non poteſt dici, cùm æſtimatur non poteſt æſtimari: hunc mente recole,

hunc ſilentio adora, quem non potes cognitione aſſequi.

29. Sed ſi Religio Deum colere venerarique ſuadet, hæc eadem Medico fideliſſimo Dei miniſtro, hujus imaginem in proximo, cui jura ſua conceſſit Deus, jubet conſpicere: hæc, inquam, Chriſtiana Religio, quæ tota in charitate & amore poſita eſt, Medicum urget ut eum præſertim inviſat egeſtate non minùs quàm morbo onuſtum, & ſua arte ipſi opituletur in eo ſtatu ubi amici, opes, adſtantes, cæteraque adminicula deficiunt. Urget, inquam, Medicum hæc tota amoris nova lex, non cenſus, ſed charitatis affectu, ignotos & extraneos, imò obvios quoſque quoquo juvare modo; ſi enim notis tantùm & amicis ſuum ferat ſubſidium, ſi Philargiriæ objecto ægros juvet, *nonne Ethnici hoc faciunt? nonne hæc gentes inquirunt?* Memorem vellem quemlibet Medicum, Moabitarum & Ammonitarum qui Iſraëlitis inimicis fugientibus, cùm alimenta neceſſaria non obtuliſſent, ſibi ad ſalutem viam perpetuam præ-

Vos autem non ita didiciſtis Chriſtũ. *Epheſ. c. 4.*

cluſere: Memorem, inquam, vellem Jericunthei illius vulnerati, qui non à Levita, non à Sacerdote pertranſeunte, ſed ab extraneo, ſed ab ignoto Samaritano curam obtinuit, qui non tantùm in vulnera oleum & vinum infudit, ſed etiam neceſſaria ad curationem commodavit. Horum quippe memor Medicus Chriſtianus cuilibet ſuum feret auxilium, cùm juſtitia Chriſtiani debeat magis abundare quàm Ethnicorum, eorumque qui veteris legis præceptis addicti, timori ſervierunt non charitati, & novæ legis more Balſamum Chriſti concinnabit, quod non ægrè cuilibet ægrotanti ſuppeditabit, vino ſcilicet juſtitiæ mentem roborans & oleo miſericordiæ dolorem leniens. Scias igitur, Iatrophile, qui divinam hanc amoris legem profiteris, te debitorem omnibus eſſe, ſeu non tantùm Magnatibus, ſed iis etiam qui alio deſtituti auxilio chariſſimi Medici opem præſtolantur: Scias te à Deo in tua provincia conſtitutum, ut amicum egenis te præbeas, ægris Medicum commodiſſimum, omni-

bus portum communem & ſecurum, ut mens, manus, opera egenis ægrotantibus omnino pateat: Scias ſic te debere agere, ut nulla habita ratione ſexûs, ætatis, conditionis cum Apoſtolo poſſis dicere, ***Factus ſum infirmus infirmis, ut infirmos lucri facerem, omnibus omnia factus ut omnes ſalvos facerem.*** Et ibidem: ***Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant***: Utinam, Iatrophile, cum eodem Apoſtolo, eodem ſpiritu egenis dicas, ***Non veſtra quæro, ſed vos***; non opes, non fortunam, ſed ſalutem ſanitatemque veſtram quæro, pro qua ***libentiſſimè impendam & ſuperimpendar.*** Si ſic agas, non tantùm in Noſodochiis pauperes ægros inviſes, ſed totus mundus erit tibi Noſodochium in quo quivis æger jure à te ſubſidium præſtolatur: Si ſic agas non eris tantum Iatrophilus, ſed humaniſſimus Androphilus: ſic pauperes te ſentient divitem, ut Deum ſentias in miſericordia locupletem; ſic igitur pauperi, morbo gravi laboranti, non tantum gratis medeberis,

1. Cor.

2. Cor.

ſed etiam medicamenta & alimenta inſtar prædicti Samaritani, vel ſuppeditabis, vel ſuppeditari curabis. Si verò res fortunæ tibi non ſuppetant, æmulare ſaltem eum quem novi Medicum chariſſimum, qui decimam honorarii partem in pauperum erogabat ſubſidium.

*Offer opem cunctis poſcentibus artis inemptæ;*
*Officiumque tuum cum pietate fiat.*

30. Vides, Iatrophile, quàm juſtitiam à te exigat Chriſtiana Religio, ſuadens Medico ſuum officium ſolo Dei nutu & ægrotantis commodo condire, à ſenſu abſtrahendo: Ut enim Arithmeticus quantitatem ſic reſpicit, ut à ſenſibili materia abſtrahat, ſic debet Medicus inter medendum agere, cum multa objecta impura ſuppetant, ut nihil noxiæ vel libidinoſæ cogitationis admiſceat: Memorem hunc vellem Diſtichi:

*Quid facies, facies Veneris cũ veneris ante?*
*Non ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.*

Adeo enim caſta eſt illa Chriſtiana Religio, ut ſepta Monaſterii Monialium ingredi Medico non permittat ſine juſta cauſa, & quatenus muneris

ris ſui ratio juſtè exigit : ſed adeo ſevera , ut Jejuniorum præſcriptas ab Eccleſia leges infringere , & prohibitis carnibus uti ſine peculiari obſervantia non concedat. Illa humilitatem ſuadet, nec accepta ſcientiæ bona , ſucceſſuſque fortunatos Medico , ſibi arrogare permittit, ne ſuis contra Deum donis à quo pullulant, pugnare videatur ; unde enim deſpectus erigitur, dignum eſt , ut erectus inde deſtruatur.Nullus igitur ſucceſſus, Iatrophile, animum tumefaciat, nulla ſit naturæ vivacitas quæ te ad tuam perniciem efferat, nullaque ſit tanta ſecuritas ſcientis , quin cautela adſit major metuẽtis:non pudor mẽtem deprimat, non invidia ſtimulet, nec ſordida ſerviliſque curandi cura proſtituat. Sic agas in praxi , ut rogatus non rogans onus ſuſcipias, nihil ad oſtentationem , omnia ad conſcientiam referas : cui plus debere quàm famæ exiſtimes; pluribus prodeſſe tuis officiis , & ſi poſſis Collegas beneficiis promereri ſtudeas : ſic agas ut divites comitate , pauperes liberalitate & auxilio tibi devincias ;

hos in egeſtatis moleſtiis de tuo tacitè ſublevando; opperiaris, ſi poſſis, dum hæc operaris:hoc habebis quod dabis, hoc amittes quod retinebis: hac violentiâ cælum rapitur,hac arte Chriſtus capitur, hoc officio felicitas comparatur. Hæc vera Medicina cum Religione conſentit, quæ omnes ſuo ſinu complectitur; hæc enim eſt egenorum mater benefica, divitum auxiliatrix, ſenum conſervatrix, omnium ætatum tutrix, indigentium theſaurus, morborum liberatrix, omnium miſeriarum ſecuriſſimus portus. Per hanc Medicinam homo homini Deus, ut per depravatam naturam homo homini lupus:
*Pſal. 10.* *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor*: Hoc tibi impoſitum oneris: huic ægro pauperi tua ſalus conſignata. Suo ſanguine Martyres cælum rapiunt, Religioſi lachrymis & precibus, tu ægrorum pauperumque ſubſidio: pauperes quippe tibi ſunt altaria, ſupra quæ Chriſto im-
*Hebr. 13.* molare teneris; *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Hoc Medici officio Deum æmulaberis, dum quod ipſe

formavit opus omnium perfectiſſimum,tueri,ac veluti continuata productione tentabis conſervare, & ex animo operans ſicut Domino & non hominibus, pauperem è miſeriarum luto eripere. Divinum eſt mortali ſic juvare mortalem, nullaque magis expreſſa eſt in terris imago Chriſti, quàm Medicus benefaciens. Sic Chriſtum æmulaberis, Iatrophile, *Qui pertranſivit benefaciendo & ſanando omnes.*

# INDEX.

IN Vniverſam medendi Artem Prolegomena. 1
Corollarium primum *ad Medicinam in univerſum, & Naturam.* 22
Phyſiologiæ pars prima, quæ eſt de Temperamentis. 30
Corol. II. *ad Temperamenta.* 43
Phyſiologiæ pars ſecunda, quæ eſt de Humoribus. 49
Coroll. III. *ad Humores.* 72

Phiſiologiæ Pars tertia, quæ eſt de Partibus. 77
COROLL. IV. *ad Corporis humani partes.* 93
Phyſiologiæ pars quarta, quæ eſt de Spiritibus & Calido innato. 105
COROLL. V. *ad Spiritus.* 117
Phyſiologiæ pars quinta, quæ eſt de Facultatibus & Functionibus. 123
COROL. VI. *ad Facultates & Functiones.* 151
PARS I. De Pathologia in univerſum, ubi de Morborum Differentiis. 159
COROL. I. *Ad Morbum.* 174
Phyſiologiæ pars ſecunda, quæ eſt de Morborum cauſis. 180
COROL. II. *Ad morbi cauſas.* 218
Phyſiologiæ pars tertia; quæ eſt de Symptomatibus & Symptomatum cauſis. 224
COR. III. *Ad Symptomata & Symptomatum cauſas.* 235
Pathologię pars IV. ſeu Semeiotice. 241
COROL. I V. & vlt. *In quo Salutis Mortiſque Prognoſtica exprimuntur.* 279
*Sanitas Corporis & Animi.* 320
*Anacephaleoſis Medulla Medicinæ Theoretica.* 331

MEDICINÆ

# MEDICINÆ

## THEORETICÆ MEDVLLA,

## SEV

## MEDICINA ANIMI

## ET CORPORIS.

*In Vniuerſam Medendi artem Prolegomena.*

SI vlla ſit in toto terrarum orbe Scientia, quæ magnificos habuerit præcones vel admiratores, id poteſt ſibi Medicina vindicare, adeo vt ſingula quæ in aliarum laudem argumenta capiuntur, vniuerſa velut propria habere videatur. In hac quippe Medendi diſciplina ſic conſtitutum eſt, ut cum Authoris ſancti- *Medicinæ dignitas.*

tate non poſſit deſiderari antiquitas, nec cum rerum dignitate varietas, nec cum iucunditate vtilitas; quo fit omnium artium ἐπιφανεστάτη ſeu præſtantiſſima iure merito ſit appellata.

Antiquitas & origo.

Ethnici antiquitatis Medicinæ veritatem ſunt ſubodorati, dum ſcientiam hanc è Deorum ſinu in Mortalium vſum derivatam ac veluti infuſam autumarunt; at veriùs ex Sapientis oraculo Altiſſimi filiam, de cælo creatã & de illius theſauris deprom-ptam credere licet; quæ primo Mortalium parenti quaſi cæli munus, aut Dei manus conceſſa fuit in hominum ſubſidium, ſingulare beneficium. Nec verò tantum creata, ſed etiam nobilitata Medicina à Deo ſolo fuit, quem ſolo nutu dantem ſceptra & auferentem, Medicum honorare, præcepiſſe Geneſis innuit. Cùm vero poſt Adami lapſum homines ſeſe viderent doloris & morbi inſultibus obnoxios, artem quæ fiere, cuius operâ dolor compeſci, morbus eliminari & præcaveri poſſet. Hæc levibus orta principiis paucarum herbarũ ſcien-

tiâ, ſoli primum experientiæ innixa, authorem primum Apollinem, tum Æſculapium ejus filium agnouit, à quibus rudis & impolita relicta fuerat hæc digniſſima Scientia.

Sic igitur laborabat orbis orbus vera Medicina, donec ad ſummum Naturæ genium Hippocratem deuoluta ſit, qui diſcuſſis veteris inſcitiæ tenebris, homines ad intima naturæ myſteria perſcrutanda euocauit; eorumque commodis, vtilitatique ſeruiens, morbis abigendis tàm ſedulò ſtuduit, ut primum Medicinæ parentē inde liceat eum appellare. Verùm quia myſteriorum doctrinæ Hippocraticæ nondum ſatis conſtabat veritas, prodiit ſexcentos poſt annos Galenus, qui myſticis his tenebris facem prætulit, huiuſque βραχυλογίαν paucis obuiam, pleriſque inuiam vtiliter aperuit, & ſagaci multorum obmiſſorū adjectione, Medicinam tam fœliciter locupletauit, vt poſteris addendi anſam præcipuiſſe videatur.

Hippocrates & Galenus Medicinæ parētes.

His ſic inſtructa Medicina dotibus, Hippocratis labore, & Galeni induſtria, adeò ſe ſe exerit vt nihil ſit tam

Medicinæ varietas. arduum quod vincere; nihil in terræ viſceribus tam abditum quod eruere; nihil tam intricatum, quod extricare, nihil in cælis tam excelſum quod attingere non poſſit; nihil relinquens in elementis ad cuius notitiam, mentis acie perſpicaci non perueniat. Nec enim credes ſi noveris, Medicinam, aliarum ſcientiarum inſtar, exiguis eſſe ſeptam terminis; Naturæ quippe majeſtatem non contractam, ſed expanſam; nec tantum majeſtatem Naturæ, ſed eius quoque magnificentiam & opes contemplatur, & quidquid in mundi ambitu comprehenſum eſt, exacte ſpeculatur: adeo vt diceres diuinam hanc Scientiam Deo mundi vniuerſam fabricam machinanti aſſediſſe, & ex hoc limpidiſſimo fonte rerum omnium notitiam fuiſſe conſecutam.

Medicinæ vtilitas & neceſſitas. Sed ſi noueris, Iatrophile tantas Naturæ & Medicinæ opes, noſce quoque nihil eſſe in rerum natura, vnde aliquid emolumenti in hominum gratiam Medicina non capeſſat; ſicque hanc hominum ſaluti conſulere, vt ſuis vitam ſubleuet miſeriis,

morborumque eludat impetum, ſi eum non detur anteuertere:ea quippe eſt quæ naſcentem infantem manu benefica excipit, eundemque ſeneſcentem moleſtiis & ærumnis liberat. Imo huic diuinæ Scientiæ vitam debent homines, dum eius beneficio abortus præcauetur, concipiendique ſimul & pariendi facultas conceditur: adeovt aſſerere liceat, plus homines debere Medicinæ quã parentibus: hi enim ſi vitam dederint, vt plurimum incertam, hæc præter quam quod in vtero materno fœtum fouet ſuis remediis, eundem lucis vſura fruentem diuina quadam benignitate tuetur, & cum morbis velut capitalibus eius vitæ hoſtibus dimicando, fugientem hanc retinere, eique ſalubritatem conciliando, moleſtiis quibuſque videtur expedire. Tanta inde Medicinæ neceſſitas adſtruitur; vt ſi quæ ſint peregrinæ Nationes quæ Rhetoricam, Iuriſprudentiam, Theoſophiamque non admittant, nulla ſit quæ pleno ſinu hanc non foueat, nulla ætas nulluſque ſtatus qui eius ope carere poſſit: Vndę

Principibus lege ſolutis legem ponere, Reges regere, Imperatoribus imperare ſola novi; nullum ex his habens qui imperium ſuum detrectare, aut legibus ſuis impune poſſit refragari.

Medicina animi curam habet. Verùm hallucinatur is qui exiſtimat Medicinam corpori tantum, quod hominis vilior pars eſt, conſulere; etenim animi ipſius curam gerit & toti homini ſedulo incumbit: manca quippe & mutila eſſet noſtra Medicina, niſi corpori animæque eam conſtitutionem conciliaret; quâ anima corporis illuvie non afficitur: quâ corpus animæ imperanti non ægrè obſequitur: in qua tanta eſt corporis & animi integritas, ut mutuo commercio initaque ſocietate, licèt diſpari, mens nitorem, corpus valetudinem nanciſcatur. Vtriuſque igitur & adjutor præcipuus, & moderator eſt Medicus; corporis quidem, dum ab eo omnem languorem morbumque removet; animi verò, dum per reſtitutam corpori valetudinem, mœrorem omnem abigendo, alacritatem, εὐθυμίαν, vigoremque

animi accerſit. Quis enim quæſo fœliciùs Medico animi poterit ſedare pathemata, iram coërcere, Veneris œſtrum, Bacchi furorem ſiſtere, dum alimenta removet quæ ſunt incentiva libidinis, eaque præſcribit, quibus Veneris tela hebetantur? Quis meliùs ſuadere ſobrietatem & temperantiam; quis ſecuriùs animo libertatem, dolorem mulcendo anodynis? hic quippe omnia hæc præſtat, dum Bilis ephodum, Sanguinis orgaſmum, aduſti humoris acrimoniam edomat, & legibus ex æquo impoſitis juſtitiam menti, temperamentum corpori debitum reſtituit: adeovt ſi rem acuta mentis acie conſpiciamus, Medicina ea eſt quæ menti ſolertiam & prudentiam, ingenio ſoliditatem, memoriæ ſtabilitatem per qualitatum cerebri ſymmetriam conciliat; ea eſt quæ rationem ſeruat, quam ſæpius exuimus, dum qualitatum dominantium tyrannidi ſubjicimur. Cum autem ratio nos faciat rerum omniũ principes, eiuſque ductu caſus omnes declinemus, quæque in vita vitemus noxia, Medicinæ beneficio vitam

tranquillam, miſeriarum & calamitatum expertem traducimus.

Medicina ad animæ ſalutem confert.

Addere liceat Medicinam eam eſſe, quæ hominem interiorem per exteriorem, hoc eſt quæ animæ ſalutem ſæpe per corporis mutationẽ ſeruat: Ingemiſcit plerumq; homo interior ſub exterioris ſarcina & pondere, quod ſi onus excutitur, liber ille ſalutariter efficitur. Finge tibi in medio voluptatum æſtu, in ipſo crapulæ diluvio, in ſcelerum ſervitio hominem apoplectico inſultu velut de cælo & fulmine tactum: quid poteſt ibi Rhetor niſi Medicus aures aperiat? quid Theologus niſi Medicus pharmacorum qualitate mentem reſtituat? Peribit ipſe anima & corpore in ſuis ſceleribus ſepeliendus, niſi Medicus paroxyſmum ſolvat, mentique libertatem accerſat. Quot, quæſo, ægros ſapiens Medicus præviſo periculo, dum adſtantes ſperarent, ad ſacramenta, in animæ languentis ſalutem deduxit? quoties ægro ſanitatem ſibi pollicenti neceſſitatem ſalutis impoſuit; cùm de ſanitate conclamatum eſſe declaravit? Ea cer-

te Medicina eſt ; quæ dum maternâ gratiâ aſſiſtit,plerumque ægro ad ſalutem viam aperit , & inter vtiliſſimas artes ( vt cum Caſſiodoro loquar) quas ad ſuſtentandam humanæ fragilitatis indigentiam divina tribuerunt , nulla videtur præſtare aliquid ſimile, quam quod poteſt auxiliaris Medicina conferre. Cum enim totum hominem , & exteriorem & interiorem curet,ibi nos nititur ſublevare vbi nullæ opes, nulla dignitas, nulli amici,nulla munera , non Rhetor,non Iuriſconſultus, nullus Theologus poſſit ſubvenire.

Cæterùm in auguſto Hygieiæfano tres ſectæ inſignes & præcipuæ enatæ ſunt;quas Galenus numerat, Empeirica , Rationalis & Methodica. Empeirica ſoli experientiæ innixa ſolam ſymptomatum reſpiciebat congeriem , eaque ad morborum curationem inſumebat , quæ propria inſpectione , aut aliorum hiſtoria , aut analogia & ſimilitudine obſervata fuerant. Rationalis ſeu Dogmatica ab ἐμπειρία ſeu experientia emergens, huic comitem adjunxit rationem; cu-

Variæ in Medicina ſectæ.

*Lib. de ſectis.*

jus luce à variis, quibus patebat, erroribus cæcutiens Empeirica, expedivit, & licèt tam bene fuiſſet ſtabilita ab Hippocrate & Galeno Rationalis Medicina, ratione non minùs quàm experientia fulta, brevi tamen à barbara Methodicorum inſcitia fuit lacerata. Hi Methodici ἀμέθοδοι à Rationalibus deficientes, neglecta morbi cauſa, parte affecta, natura, habitu, ætate, regione, viribus, ad duas communitates, adſtrictum & fluens, ſeu meatuum denſitatem, & eorum rarefactionem immodicam confugerunt, & hoc Artis compendio Medicinam non diffuſam, ſed breuem, facilem & compendioſam conſtituerunt.

Primæ ſectæ ſeu Empeiricæ Author perhibetur Philinus Conſ. Secundæ ſeu victricis Rationalis Medicinæ eximius Hippocrates. Tertiæ ſeu Methodicæ, Themiſtius Laodiceus: Methodicorum tamen clariſſimus extitit Theſſalus, qui Medicinæ nactus compendium, in ſemeſtri profeſſione eiuſdem perdiſcendæ, fuit hominum revera infauſtum diſpendium.

Sed mala quadam fœtura, autumno mundi vel ſenio, exorta eſt nova ſecta Chymia dicta, quæ ſæculorum rubiginem devehens, cæterarum videtur ſectarum errores renovare. Empeirica mquidem ſuſcitat, quia morborum ſigna negligit, quia celeriter enata ad inſanam molē excreſcit, & auſu temerario bonarum artium ſemina ſuffocans, ſolam ſibi adſciſcit inſcitiam: Methodicam renovat, dum facilem Medicinam profert & compendioſam, generaleſque tantum affectus perſequitur, etſi interdum hominis naturam rimari videatur, hac in re Rationalem velut ſimia imitatur, quam tamen adulterat ſuis principiis, ſale, ſulphure & mercurio, morbos eorumque cauſas non contrariis, ſed ſimilibus, inſolenti methodo, curans remediis. Chymia

Tria igitur illa principia Chymiſtæ admittunt, quia per Spageiricam artem omnia mixta in hæc tria reſolvi ſicque in illis fuiſſe exiſtimant. Verùm extricare licet eorum ridicula & chimerica fundamenta: quid enim neceſſe eſt, amabo, vt conſtent ele-

menta & corpora mixta ex iis omnibus, quæ per artem ex illis elici poſſunt? Nec enim illud fieri poteſt, imò nec vi naturæ, niſi in vltima reſolutione animantium. Aſſereſne ex. gr. ſanguinem in pane contineri è quo iecoris beneficio proſilit in partium alimoniam? an compacta ſunt corpora noſtra è pediculis & vermibus, in quos ſæpius corruptione conuertuntur? An artis aut naturæ operâ, corpus noſtrum in ſemen aut ſanguinem menſtruum poterit diſſolui, quæ tamen ſunt vera generationis noſtræ principia? poterit-ne ratio, poterit-ne experientia, admittere quod illi effutiunt, ſimilia ſimilibus curari, quaſi ignem igne extinguere, quaſi aquam aqua deceret exſiccare? Valeant igitur Chymiſtæ ignorantiæ myſtæ, valeant tanquam noſtri ſæculi *πειψίματα* & legitimæ Medicinæ propudia: Valeant cum ſuis principiis, quæ ſunt artis noſtræ ſcandala, deſinantque ſulphur ſuum & mercurium, ſpem & aucupium ſtultorum, ſuumque ſalem ſine ſale iactitare, quo ægrorum corpora deurunt, & ad

æternitatem condiunt.

Hæc autem Chymia ingeniorum faſcinatrix, authorem ſuum agnoſcit Paracelſum, qui ſeſe huius principem non minùs quam cæterarum Scientiarum Monarcham prædicat, licet omnes agnoſcant huius ætatis eſſe abortiuum fœtum, cuius mater impudentia, obſtetrix ſæculi licentia, nutrix hominum ſtultitia; cuius tandem religio impietas: hic enim non minus prodigioſe impius quàm ignarus, plures effingit Deos, qui nos effingunt ad flagitia, qui etiam de Chriſto male ſentiens, eius miracula non potentiæ diuinæ, ſed arti magicæ artificioſè videtur tribuiſſe. Exhorreſcat Medicus Chriſtianus tantæ impietatis præſtigia, nec ei detur ebibere quod portentoſus ille homo ex ore ſpurciſſimo evomuit: Exhorreſcat, inquam, humanæ malignitatis vitium, quô impia hæc novitatis quodam lepore fucata expetuntur; dum vetera tam bene ſtabilita contemnuntur: Eam Medicinam complectatur quæ corpori ſanitatẽ, menti ſalutem non minùs quam divini

Paracelſus Chymiæ author.

authoris lumen conciliat.

Definitio *Lib. de flatibus.* Triplex autem apud nos Medicinæ definitio conſtituitur: vna ab officio; à ſubjecto altera; tertia à fine. Ab officio Hippocrates Medicinam depingit προσθέσιν καὶ ἀφαίρεσιν, adjectionem & diſtractionem; illam neceſſariorum, hanc inutilium: quâ definitione totum Medici officium videtur contineri; ſanitatem quippe conſtitûit, & amiſſam reſtituit partim neceſſariorum adjectione, partim ſuperfluorum inutiliumque ablatione.

A ſubjecto ſeu materia, à Galeno in arte parua definitur, Salubrium, inſalubrium & neutrorum ſcientia; ſeu Rerum naturalium, non naturalium, & contra naturam.

A fine verò quæ depromitur definitio, ea mihi optima cenſenda eſt. Medicina eſt ars conſervandæ ac reſtituendæ ſanitatis; ſeu quæ ſanis ſanitatem ſervat, ægris reſtituit, & vtroſque à morbis præſervat.

Subjectũ. Quærendum eſt in homine Medicinæ ſubjectũ, cùm homo univerſalem ſcientiam non minùs quàm cæteras artes videatur exercere; quatenus

enim moralis virtutis & æternæ vitæ capax, Ethicæ Philoſophiæ & Theologiæ ſubjectum eſt; vt ſociabilis Politicæ; quatenus Ens, Metaphyſicæ; ut corpus habẽs naturale; Phyſicæ; ut ſanitati & morbis obnoxius, Medicinæ; vt cadaver, Anatomiæ. Cùm enim circa corpus humanum ſolùm, & in ipſo tantum, Medicina opus ſuum exerceat, rectè adæquatum tam conſiderationis quam operationis ſubjectum vt ſanabile debet ſtabiliri. Nec putes, aliarum artium inſtar, illud ſubjectum otioſum, iners, & obſequium tantum præſtare agenti Artifici: potentiam quippe innatam habet, quâ Medicinæ ſubſidio ſanitatem aſſequitur.

Sanitas autem ex omnium Medicorum conſenſu Medicinæ finis cenſuri debet; ad hanc enim omnia referuntur, & in hac, ſi nihil obeſt, hujus ſcientiæ motus terminatur: quamuis enim multi ſanitatem non Medicinæ finem; ſed ſcopum eſſe aſſerant, quod ſcopus ex mente Galeni id ſit quod primum in animo artificis proponitur, licet non perpetuo acquiratur: Finis. *Lib. 3. de ſectis.*

Sanitas quippe vtrobique reperitur ; & in ſcopo & in fine : ſatis enim eſſe ducitur, ſi nihil eorum prætermittat Medicus quæ ab arte ad ſanitatem conſequendam præſcribuntur, quam non ſemper aſſequitur vel aſſidentium culpa, vel morbi vi & contumacia, vel ipſius ægrotantis inobedientia.

Medicina, Ars, non ſcientia.

Artem Medicinam eſſe volunt Hippocrates, Galenus & Ariſtoteles ; cum enim ex eius mente ſexto Ethicorum, Ars ſit habitus vera cum ratione effectivus ; ſanitatem hæc efficit:hoc eſt pręſentem ſervat,amiſſam reſtituit, & morbum velut hujus infenſiſſimum hoſtem eliminat:quamvis enim natura ſit morborum medicatrix ex mente Hippocratis,natura debet conſiderari vt præcipuus opifex,ſed Ars vt opitulans, Medicus vt miniſter, remedia vt inſtrumenta; ſi vero interdum,vt in Arte parua, Galenus Medicinam appellat ſcientiam, ſubdit illico nomen Scientiæ communiter,nō propriè vſurpari,ſumpto late Scientiæ nomine pro certa rectaque rerum ratione,cui contraria opinio

*Lib. 6. Epid.*

nio eſſe poteſt, quo pacto artes poſſunt ſcientiæ appellari? Etenim libro de optima Secta, & paſſim in pluribus locis, Galenus Medicinam ex eo genere effectivarum Artium eſſe dicit, quæ poſt actionem aliquod opus relinquunt.

Medicinæ diviſio.

Cæterùm univerſalis Medicina vel eſt Theoretica, vel Practica. Illa eſt quæ tota verſatur in hominis & eorum quæ ad ipſum referuntur ſpeculatione; hæc vero eſt effectiva, quæ in ſervanda valetudine & morbis abigendis tota occupatur.

Theoretica duplex: φυσιολογικὴ & παθολογικὴ; Illa rerum naturalium hominis naturam conſtituentium, prout ſecundum naturam ſunt, cognitionem exhibet; hæc, Pathologia ſcilicet, affectus homini contra naturam contingentes perſcrutatur.

Practica item duplex eſt: ὑγιεινὴ & θεραπευτικὴ. Illa prima eſt Medicinæ practicæ pars, quæ ſanis moderatum rerum non naturalium vſum ad tuendam ſanitatem præſcribit. Therapeutica altera eſt Medicinæ effectivæ pars, quæ affectibus contra naturam

medetur, deperditamque ſanitatem convenientibus præſidiis reſtituit; quæ quia tria ſunt, ideo tres eius partes numerantur: Diæta, quæ optima victûs lege; Pharmacia quæ medicamentis; Chirurgia quæ artificioſæ manus induſtria id præſtat. Sic rerum naturalium cognitionem Phyſiologia; non naturalium Diæta, rerum contra naturam Pathologia cognitionem exhibet.

Natura & Medicus. Quia verò maximum eſt inter Naturam & Medicum commercium, utrumque vno & eodem capite licet complecti: Natura quippe & Medicus ex mente Galeni eorum bonorum debent cenſeri authores, quæ corpori accidunt. *De Conſtitut. Artis cap. 12.* Regit illa & ejus via plerumque Medico eſt invia, ſed ſæpius devia regitur à Medico: opifex quidem Natura curationis perhibetur; ſed hujus opus, opem & operam velut ſagax ſpeculator Medicus perſpicit, nec enim ſemper movet, ſed ſæpe quieſcendo plus proficit quam movendo: ſanitatem quidem natura parit, ſed parturientis opus Medicus juvat, ſine quo partus ipſe

plerumque aborſus efficitur.

Antiqui Medici duplicem Naturam ſtatuunt : vnam univerſalem, quam Naturantem ; alteram particularem quam Naturam Naturatam appellarunt. Illam Galenus miratus ſic exclamat : Quis non mentem eſſe dicat, quæ vim admirabilem habeat,& quæ terras omnes pervadens, in omnes illius partes extendatur ? Illa ipſa Natura Naturans eſt, quam Ariſtoteles rerum omnium opificem, quam Stoïci & Aſtrologi cauſarum ſuperiorum, inferiorumque cum effectibus ordinem & connexionem, quam Avicenna animam mundi, Colcodeam, tanquam huic mundanæ naturæ imperantem appellarunt, quæ Natura Naturans ex mente Senecæ Deus eſt. Natura vero particularis, individua ſeu naturata, ea eſt quâ creatæ, finitæ & ſecundæ res à prima illa ſcaturientes intelligi debent; legitimeque à Scaligero dicitur vis formarum inferiorum à ſuperioribus in eſſe & conſervatione dependentium: quæ natura ſic conſiderata ſeptem rurſum modis vſurpatur.

Naturæ diuerſa acceptio.

*De vſu partium cap. 1.*

*4. de Benefic.*

*Exercit. ta'ione 20.*

Primo pro cujuſque rei eſſentia; 2. pro temperie ex primarum qualitatum mixtione nata; 3. pro facultate generante; 4 pro formatione corporis; 5. pro vi quadam corpus regente; 6. pro calido innato; 7. pro rebus omnibus rem aliquam conſtituentibus; quo ſenſu Phyſiologia dicitur hominis naturam, ſeu res naturales ipſum conſtituentes explicare; quæ ſeptem ſunt Elementa, Temperamenta, Humores, Partes, Spiritus, Facultates, & Functiones; quarum quatuor primæ ad corpus quod componunt, duæ poſtremæ ad animam, ut earum cauſam præcipuam, referuntur; quinta vtriuſque, corporis ſcilicet & animæ, vinculum eſt & inſtrumentum. Ex elementis exurgunt temperamenta; ex his humores & ex humoribus partes: ſpiritus ex humoribus oriundi animam nectunt corpori: ab anima facultates manant, ut ex facultatibus functiones.

Nihil hic nobis cum Elementis de quibus agit Phyſica; quia remota ſunt hominis principia, magis proxima amplectimur: Satis erit Medico

præter Philoſophum noſcere hominem ex mente Hippocratis,nõ vnico tantum conſtare elemento, quia ſic conſtitutus non doleret; vnum quippe exiſtens non haberet à quo pati poſſet: Quod ſi vero doleret,vno tantum remedio indigeret; quia, ut docet Galenus, vno tantum morbo laboraret, & proinde cum vna ſit paſſio, vnus tantum debet eſſe ad propriam naturam reditus, quod eſt curatio: at vero morbi ſunt plurimi & inter ſe contrarii, multaque remedia, proindeque multa elementa ex quibus homo conſtat. *Lib. de Natura humana.*

At verò hominem ex quatuor conſtare elementis ſatis probant generationis humanæ principia; ſemen & ſanguis maternus, quæ quatuor elementa in ſe continent; ſemen quippe ex ſanguine eſt, ſanguis quatuor humores complectitur, qui quatuor elementis analogicè reſpondent. Probat & noſtra nutritio; iis enim nutrimur quibus conſtamus; at nutrimur mixtis; proxime quidem ſanguine, remote carnibus,pane,frugibus,quæ ut mixta ſunt, quatuor in ſe elemen-

ta continent, ita vt nullus ſit dubitationi locus, hominem è quatuor elementis conſurgere.

# MEDICINA ANIMI,

## SEV

## *COROLLARIVM PRIMVM ad Medicinam in univerſum, & Naturam.*

Medicina, ſui cognitionem exhibet.

MEDICINÆ Theoreticæ perſcrutaris naturam, Iatrophile, quam circa corpus humanum tanquam adæquatum conſiderationis & operationis ſubjectum verſari exiſtimas; ſed certè, ſi veram & genuinam Medicinam admittis, hanc univerſalem & particularem in ſui ipſius cognitione poſitam eſſe agnoſces, in qua humanæ divinæ quePhiloſophiæ principium & ejuſdem faſtigium, perfectioque omnimoda continetur. Dicta fuit à Tertulliano Medicina Philoſophiæ & Sapientiæ ſoror, & vulgò perhibetur Medicinam plus in

homine inveniſſe quam is in ſeipſo cognoſcit ; vnde corpus humanum debet ab omnibus circumſpici velut magnus codex manu Dei exaratus, & liber Medico magis patens quam cæteris ſcientiam profitentibus. Hunc ſi attentius evoluas, Iatrophile, nulla erit pagina, imo nulla linea , quæ te perfectam tui notitiam non edoceat : Oculum quæſo inter cæteras partes obſerva diligentiùs , ut ſanitatis & morbi, corporis & animi eſt index & ſpeculum , ſic tui ipſius cognitionis monitorem habebis fideliſſimum : Si enim ſupra te oculus ſe ſe erigit, caput in gyrum vertitur, corpus titubat, ut tui ſola cognitione videndi aciem circumſcribas : nec aliam ob cauſam natura palpebrarum vela ſupra oculos extendit, niſi ut diſcas cognitionis radios in teipſum potiùs quam in alia objecta reflectere; quaſi ſola illa cognitio mentem ſiſteret, quaſi ſola illa cōſideratio totum animum cæteris neglectis ad ſe converteret. Conſule, quæſo, cæteras partes; nulla erit, crede mihi, quæ talem tibi notitiam non inſinuet : Si vero hujus

Medicinæ animi beneficio teipſum noveris, Deum noſces, Deoque non minùs dignus quam ſimilis, hac felici cognitione nihil Deo indignum admittes, ſed ea quæ Dei ſunt perpendendo, uberrimum ex hac Dei & tui ipſius cognitione fructum percipies. Hinc cum divo Baſilio totum hoc mirandum hominis theatrum velut ſcholam Deum cognoſcendi, & librum gloriam Dei indicantem agnoſces.

Seriò igitur ſapias, Iatrophile; imo plus cæteris ſapias, qui tanta depromis ex tam mirabili ſubjecto ſapientiæ & eruditionis documenta; ſic ſapias vt non poſſis ſuſtinere te in tanta luce tibi incognitum: Si non ſic ſapias, ignorantiæ te reum dicam, ſi tui neſcius ſis & immemor, dignumque qui ad pecudum greges ablegeris, qui in tanto humanæ divinæque ſapientiæ theatro & lucidiſſimo ſpeculo vis cæcutire.

Verùm quia non tantum Medicus ſuum ſubjectum, ſed etiam quæ ſit Medicina per definitionem ab officio attentiùs ſpeculatur, quæ reuera nihil

aliud eſt quam adjectio neceſſariorum & detractio inutilium, veram hic habes, Iatrophile, veræ animi Medicinæ imaginem; habes legitimæ Philoſophiæ expreſſionem, quæ agere & pati, abſtinere & ſuſtinere edocet; habes veram interioris hominis adumbratam effigiem ſeu juſtitiæ officium, quid enim aliud juſtitia Chriſtiana ſonat, quam adjicere & detrahere? adjicere, ſeu dote virtutum, quæ ſunt animæ noſtræ ornamenta & condimenta, animum cumulare; detrahere, ſeu voluptates, vitia & noxia animi pathemata amputare: In corpore quippe, quod eſt animi carcer & pondus, nobis evenit quod in alieno habitantibus, quibus aliquid ſemper aut deeſt aut ſupereſt: Unde Iuſtus ſeu Medicus Chriſtianus in vita interiori Pictoris & Sculptoris continuo vices gerit; ille addendo, hic demendo opus ſuum conficit. Pictor erit virtutibus adjiciendo virtutem, ut vera hac ſupellectile anima locupletetur; Sculptor detrahendo quotidie quod ſibi nocet & quod Deo diſplicet; *Qui* enim

Vera Medicina animi.

*Galat. 5.*

*ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis. Declina à malo & fac bonum*; ſeu animæ tuæ adjice & detrahe; quantum enim à corpore ſeu carne detrahes, tantum animæ ſeu ſpiritui adjicies; quo major à teipſo exitus, eo major animæ ad Deum tranſitus; & quantò magis vita in ſe deficit, eò magis in Chriſto proficit. Verè Chriſtiana vita vitis eſt, Iatrophile; quæ & ſuperfluorum amputatione, & neceſſariorum adjectione fœcundatur; & vita hominis interioris non minùs quàm motus cordis, diaſtole & ſyſtole perficitur: in hoc aër Spiritus vitalis opifex per diaſtolem adducitur; in illo virtus animæ vita conciliatur; In hoc per ſyſtolem quod noxium eſt cordi expellitur; in illo quod infenſum eſt animæ vitium eliminatur. Illa eſt perfectionis ſumma; hæc eſt vera corporis & animi Medicina, quæ veterem & novam, hoc eſt carnis & ſpiritus legem in ſe complectitur. Etenim detractione, concupiſcentiæ quæ in mundo eſt corruptionem fugimus, & præ-

putium cordis circumciditur ; adjectione vero anima divinis opibus cumulatur. Sic age, Iatrophile, ut continuò de concupiſcentiæ ſarcina demas ; ſic adjice ut divinarum actionum corona vitam perficias, cum ex mente Tertulliani ; *In Chriſtianis non ſpectentur initia ſed finis.*

Cæterùm quia nihil frequentius in ore Medici ſonat quam Naturæ nomen ; ideo cavere debes, Iatrophile, ne Naturam uniuerſalem cum particulari confundas ; Dum Naturam Naturantem cogitas, cogita quæſo Deum ipſum, ſeu cauſam univerſalem à qua cæteræ dependent: Si enim Galenus, Ariſtoteles, Seneca, aliique Philoſophi & Medici inſcitiæ & ignorantiæ tenebris involuti, hanc veritatem ſunt ſubodorati ; hanc Naturam inaſpectabilem, cognitione licèt obſcura, ſunt aſſecuti ; quid Medicus Chriſtianus cui Evangelicæ legis jubar affulſit ? Quid, inquam, cenſere debet Medicus qui tot amoris, ſapientiæ & potentiæ Dei habet ſpecula, quot in humano corpore aut Natura Naturata ſibi proponit

*Quid vero Medico natura.*

ſubjecta? Cum igitur Naturam ſenſibilem ſeu Naturatam vides, corticem tantum & umbram vides, ſub quâ vera Natura deliteſcit; lineam vides quæ te ad centrum; rivulum qui te ad limpidiſſimum fontem; radiuſculum qui te ad ſplendidiſſimum ſolem; exemplum quod te ad divinum Archetypum viâ rectâ, manu certâ ducit. Quod ſi in Medicina corporis, ſpectator Naturæ Naturatæ perhiberis, dum eam molientem criſim ſeu certantem conſideras: ſit miniſter fideliſſimus, dum viam idoneam morbificæ cauſæ tuis remediis aperis: ſi imitator prudentiſſimus, dum eius æmulatione materiam contumacem incidis & attenuas; tu quæſo in Medicina animi ſis Naturæ Naturantis, ſeu Dei operum ſpeculator ſagaciſſimus; Deus quippe non ſolum nos orbi commiſit ut ſpectatores artis admirandæ, quâ Naturæ fabricam amoris commercio devinxit; ſed omnia externa objecta tanquam bonitatis ſuæ τεκμήρια exhibuit. Sis miniſter fideliſſimus, ſeu divinos hujus motus

tuo iuva concurſu, & quod à te, velut à famulo,legitimè expoſcit, id velut debitum perſolvas; principi huic Naturæ ſic ſervias, cui totum te debes; cui famulari regnare eſt: *Sis* prudentiſſimus imitator hujus Naturæ, cujus tota natura amoris ſui diffuſio eſt. Æmulare quæſo divinam Naturam, cujus natura bonitas eſt, cujus eſſentia amor eſt, cujus lux veritas eſt, & ſic æmulare, ut pro ea Natura vel cum ea aliam non quæras, nec ab eâ ad aliam convertaris. In hac divina æmulatione, totius Perfectionis ſummam conſtituas, Iatrophile, hæc una tua ſit avaritia, quæ non hæret in ſordibus; hæc una tua ambitio, quæ non occupatur in nugis; hæc una tua voluptas, quæ non paſcitur pœnitendis.

# MEDICINÆ THEORETICÆ MEDVLLA.

*Phyſiologiæ Pars Prima, quæ eſt de Temperamentis.*

VT ex Elementorum corporibus tanquam à ſubjecta materia ſimul mixtis & unitis, mixtorum corpora componuntur; ſic ex illorum per mutuam actionem & perpeſſionem retuſis qualitatibus, & in unam velut confuſis & unitis, rerum omnium Temperamenta pullulant: Vnde ſtrictè & propriè poteſt definiri Temperamentum, Mixti formæ qualitas debita ex mutua quatuor primarum qualitatum certa inter ſe proportione refractarũ unione proveniens: Præcipuum formæ mixti in obeundis actionibus inſtrumentum, melius per qualitatem meo judicio Temperies definitur, quàm per

Quid ſit Temperamentum.

ſubſtantiam & harmoniam. Non ſubſtantiam, quia Temperamentum ſenſibus patet, alterationi ſubjicitur & motu acquiritur. Non Harmoniam; verbum enim metaphoricum eſt, quod ex vera definitione expungitur, cum etiam non ſit aliquid effectivum. Dicitur autem Temperamentum, formæ mixti inſtrumentum; quod debet intelligi in inanimatis, nam adeo neceſſarium eſt in animatis inſtrumentum animæ ad ſuas functiones obeundas, ut ſine hoc nulla edi poſſit, & eodem læſo ipſæ quoque lædantur. Hinc à Galeno principium naturalium functionum dicitur, non quidẽ primarium; quod ipſa anima eſt, ſed ſecundarium & inſtrumentarium.

Tot autem modis exurgunt Temperamentorum ideæ & ſpecies, quot qualitates in unum coïre atque convenire poſſunt: Duobus autem id queunt modis; vel enim paribus inter ſe viribus copulantur, vel imparibus: Inde Temperamentum duplex in genere; æquale & inæquale: Æquale eſt quod ex paribus primarum qua- Temperamentorum differentiæ.

tuor qualitatum virtutibus æqua graduum proportione retuſis ac temperatis emergit, adeout nulla poſt perfectam mixtionem exuperet; Inæquale autem ex diſparibus.

Æquale illud eſt, quod ad pondus; exquiſitum, abſolutè tale, ſimplex uniforme, omnium verè medium & temperatiſſimum: quod Temperamentum ad pondus poteſt quidem dari in rebus inanimatis, non molis ſeu ſubſtantiæ corporeæ, quantitatis atque materialium qualitatum; eſſet quippe immobile aut nullibi quieſcens, ſed tantum qualitatum elementarium, quarum æqualem copulam natura poteſt componere: ſed in animatis & viventibus illud Temperamentum ad pondus poſſe inveniri inficior, omnia quippe in illis ſunt calida & per calorem vivunt, cujus extinctio mors eſt ex Ariſtotele & Galeno: & quamvis pars quædam corporis humani temperata dicatur apud Medicos, id non abſolutè ſed medicè loquendo & ad ſenſum dici poteſt, cum illa pars vivat caloris dominio: Nec etiam in ætatum tranſitu, licèt enim

Datur & non datur Temperamétum ad pondus.

*Lib. de reſpir.*
*Lib. de temper.*

prima ætas calida & humida, ultima frigida & ſicca agnoſcatur, illud comparativè tantum, non abſolutè dicitur, cum ultima hæc ſit abſolutè calida.

Inæquale duplex, unum quod εὔκρατον Græcis ac σύμμετρον ſeu temperatum ac moderatum, quod Galenus vocat πρὸς δύναμιν καὶ δικαιοσύνην, ad vires & ad juſtitiam; ſeu quod ſubjecto cui ineſt naturaliter debetur: Alterum δύσκρατον καὶ ἄμετρον hoc e ſt intemperatum ac immoderatum; quod ſubjecto cui ineſt ſecundum ſpeciem non debetur.

Rurſus Intemperatum duplex eſt; unum ſanum ſive naturale; alterum morboſum & contra naturam. Sanum id eſt, quod licèt ab ea quæ ſpeciei debetur æquitate & juſtitia recedat, non tamen adhuc tale eſt ut actionibus manifeſtè officiat, ut bilioſi & pituitoſi, qui ſic conſtituti inter ſanos numerari poſſunt. Morboſum autem, quod ita recedit à proprio & ſpeciei debito, ut apertè lædat actiones & morbum producat, cujuſmodi eſſe poteſt febricitantium &

hydropicorum. Addo Temperamentum eſſe ſimplex, ut calidum; vel compoſitum, ut calidum humidum: quorum temperamentorum tanta eſt latitudo, ut ex ea infinitæ propemodum naturæ in homine, quas Galenus Dyoſincraſias vocat, pullulent.

Verùm præter enumeratas Temperamentorum differentias, aliæ aſſignari poſſunt; quarum prima eſt in nativum ſeu congenitum, quod & intime corporis partibus adhærens, ex generationis principiis ortum habet; & adſcititium ſeu poſtgenitum, quod ex eorum humorum qui in venis continentur dominio inducitur: illud vix immutari poteſt, hoc facilè, ob mobiles & fluxiles humores.

Secunda in Temperamentum mixti & viventis: Illud ex primorum corporum mixtione, hoc ex vitæ principiis conſequitur, à quo omne vivens dicitur calidum humidum, ut ſentiunt Galenus & Ariſtoteles. Sic diſtat Temperamentum viventis à Temperamento mixti, ut unum perire poſſit manente altero: etenim animali moriente Tempera-

mentum viventis unà moritur; mixti autem remanet in cadavere, quod & in ejus quoque reſolutione diſſolvitur. His omnibus addi poteſt Temperamentum dominantis humoris illud conſtituentis, unde pro illius ratione & numero ſanguineum, bilioſum, pituitoſum, & melancholicum adſtruitur.

Licèt verò Temperamenta, prout elementarium qualitatum ſoboles, ex earum rerum genere ſint quæ tactu percipiuntur; ea tamen nequit homo in omnibus diſcernere, niſi rationem adhibeat, & experientiam quandoque adjungat; nec enim ſicci humidique natura, neque quod eſt potentiâ aut per accidens tale, probè ſolo tactu dignoſcitur; neque hominis cujuſlibet tactui fidendum, ſed ad juſtitiam temperati, ut unum melius ab alio diſtinguatur. Proprium autem ſenſus Tactus organum & ſubjectum, exiſtimo eſſe corpus membranoſum, aut membranam; hæc enim ubicumque eſt, ibi & ſenſus eſt, in altiſſimis corporis partibus quas inveſtit: Inter membranas au-

Temperamentorum Criterium.

*Lib. 16. de Temperamentis.* têm cum Galeno cenſeo præcipuum tactus ſenſorium ſeu organum cutim eſſe; quia cutis extremorum omnium medium eſt ratione ſubſtantiæ quâ videtur eſſe nervus ſanguine præditus; ſeu quid medium inter cutim frigidam & exanguem, & carnem. Nec credas quamlibet cutim admitti, ſed eam tantum quæ in manu & extremis digitis eſt, modò nullam qualitatem peregrinam contraxerit, quæ proinde foris appoſita ut aëris nos ambientis appulſu, ejus calor ad aliquam ſymmetriam revocetur.

*Temperamentorum ſigna.* Quod ſi domicilii pulchritudo debet hoſpitis dignitati reſpondere, corpus hominis debuit eſſe abſolutiſſimum & temperatiſſimum; cum formam obtinuerit ſeu animam omnium nobiliſſimam, ſolam inter omnes maximè divinam. Hujus autem temperamenti perfectio, quod ad juſtitiam appellare poſſumus (quia non datur ad pondus ut dictum eſt) ſuas habet notas, quas exprimit Galenus, à quibus homo εὐτετράγωνος, ſeu quadratus, dicitur cæterorum regu-

*1. deTemperam. & cap. 1. & 2. artis Medicæ.*

la, à quâ ſi quis deſciſcit, calidior, frigidior, humidior & ſiccior poteſt legitimè appellari.

Is igitur ſic conſtitutus legitimam habebit omnium membrorum conformationem, non exuperanter mollis aut durus, obeſus aut macilentus, glaber aut hirſutus; ſed in extremorum omnium medio poſitus; cutis nec denſa nec nimium rara, colore ex albo & rubeo ſimul mixtis delibuta; capilli ætate prima flavi aut ſubrufi, adulta ad nigrum accedentes; venæ nec nimium amplæ nec anguſtæ; pulſus inter parvum & magnum mediocris; alimenta belle ingerit, digerit & egerit; tanta denique actionum tam naturalium quam animalium, ſenſuum & motuum tamque inculpata integritas, ut nihil ſit quod deſiderari poſſit.

Qui ab illa exquiſita deſciſcunt temperie, *δύσκρατοι* ſeu Intemperati dicti, ſeptem potiſſimum ſignis innoteſcunt; quorum ſex præſertim lucent in corpore, nempe qualitates primæ & ſecundæ, vaſorum magnitudo, corporis habitus, cutis color

atque pilorum natura: ſeptimum ex moribus & mentis actionibus deſumitur.

Qualitates primæ, calor præſertim & frigus, tactu erunt exploranda, quæ ſui generis temperamentum arguunt; durities ex ſecundis qualitatibus ſiccam, mollities humidam, raritas calidam, denſitas frigidam temperiem denotat. Venæ ampliores caloris ubertatem, anguſtiores ejuſdem paupertatem præ ſe ferunt.

Habitus gracilis calidum & ſiccum temperamentum arguit; ſi præſertim conjunctam habeat venarum amplitudinem & maciem naturalem; ſi verò vaſorum anguſtiam & cutis ariditatem, frigidum & ſiccum: at pinguis & πολύσαρκος ſeu corpulentus, humidum teſtatur; hic quidem calidum, ille frigidum, niſi uterque contingat ab otio, ut notat Galenus.

*Lib. 1. de temper.*

Cutis color ſimilis effloreſcit humoribus, niſi ad interna receſſerint, aut ab aëre, ſole & animi pathematis immutetur: albus ejus color, ut

copiam pituitæ; ſic humidiorem & frigidiorem temperaturam indicat; niger frigidam, ſiccam ; & melancholicum humorem aut calorem adurentem ; ruber calidam, humidam, & ſanguinem.

In Pilis obſervabis quantitatem ſive copiam, colorem, figuram & ſubſtantiam: Pilorum copia calidam & ſiccam temperaturam denotat, multus quippe calor materiam copioſam quæ fuligo eſt generat & expellit, cujus uſtionem ſiccitas juvat; vnde calidi, ſicci, bilioſi, ut & atrabilarii hirſuti ſunt; pituitoſi contra: at eorum color, niger quidem validum calorem arguit, fuliginem illam ſæpe adurentem ; albus pituitam ; flavus bilem flavam minus uſtam; rufus inter album & flavum medius, bilem flavam pituitæ mixtam mediocriter uſtam.

Figura Pilorum duplex: nam recti ſunt vel criſpi ;criſpi fiunt ab immodica eorum ſiccitate, quod Æthiopibus contingit ; vel à meatuum per quos feruntur obliquitate, quod accidit vel ob fuliginis imbecillitatem,

vel ob cutis duritiem. A ſubſtantiâ pili dicuntur tenues vel craſſi; craſſities materiæ copiam, viarum amplitudinem, & caloris robur; tenuitas vero, cutis mollitiem & cætera contraria atteſtatur.

Ex animi moribus Temperamentum quoque corporis depromitur ex mente Galeni, libello eâ de re ſcripto; Sanguinei enim ſunt faceti, hilares, ſimplices, liberales, non multum ingenioſi. Bilioſi, ſi temperati corpore, mente valent, optimi, Heroes, ad invenienda media ſubtiles, & ſenſibus vigentes: ſi intemperati, inconſtantes, pervigiles, ad omnia præcipites & tyranni. Pituitoſi, inertes, oblivioſi, ſtupidi & ſomnolenti. Melancholici, pertinaces, avari, geſtu & inceſſu graves, ſolitarii. Si melancholiæ admixtus ſit ſanguis, ſunt ex mente Ariſtotelis boni conjectores, boni collimatores, ad omnia negotia peragenda proclives, futuri providi, digni qui regni adminiſtrationem ſuſcipiant: ſecùs vero atrabilariis contingit, qui atris tenebris velut obſcuro carcere conclusi

cluſi ſæpe multa ſine ratione, effutiunt.

Quod nos Temperamentis hominum; illud Planetis bene vel male conſtitutis videntur Aſtrologi tribuere; quaſi omnem hominum fortunam vel infortunium, omnem omnino hominum qualitatem virtutis aut vitii, ex aſtrorum viribus deducerent. Verùm cum Pico Mirandulano ſentiendum eſt abſurdum eſſe in ſyderum conſtitutionibus diverſas Temperamentorum ſeu conſtitutionum noſtrarum cauſas ſciſcitari, cùm eas ſufficienter in corporum inferiorum potentia, in Philoſophiæ ſtudio, in conſilio, in animorum diverſitate, & varia diuerſarum cauſarum ſyndrome obſervare liceat: unde exiſtimandum eſt homines Mercuriales, Venereos, Saturnicos potiùs à Temperamento quam à cælo nominari; qui enim concinna membrorum ſtructura & legitima temperie præditus ſe totum ſtudiis addixit, is ſibi Mercurius aut Saturnus; alium enin ſæpe mater gignit, alium doctrina facit: quamvis etiam

Aſtrorũ vis in tẽperamenta.

*Lib. 4. in Aſtrolog. cap. 2.*

fatendum, ſit multam ſyderibus ineſſe virtutem, ſeu qualitatibus corporis noſtri alterandis, ſeu motibus pro illâ diſpoſitione immutandis.

*Quodnã temperamentum optimũ.*

Ex dictis | autem Temperamentis, *εὔσαρκον* ſeu quadratum cenſeri debet optimum, ſub quo melius ſanitas poteſt conſiſtere: Galenus quippe *εὐσάρκους* longævos eſſe & ad extremam uſque ſenectam pervenire exiſtimat, quos libello de Optima Conſtitutione difficilè morbis corripi ex eo probat, quod plurimum ab extremis undique diſtent, atque ex æquo omnibus cauſis morbificis tam internis quam externis connato robore obluctentur: Tales autem ſunt ex mente Ariſtotelis calidi & humidi, quos longioris eſſe vitæ exiſtimat.

*Lib. de longit. vitæ.*

Cæterùm ſi dubites de ſpermaticarũm & carnoſarum partium temperie; dic ſpermaticas partes calido innato ſive nativi caloris copia carnoſis eſſe calidiores: carnoſas autem calore influente, qui in ſanguine, tum venoſo, tum arterioſo cum ſpiritu ſedẽ habet, ſpermaticis eſſe calidiores.

# MEDICINA ANIMI,

SEV

*COROLLARIVM SECVNDVM ad Temperamenta.*

ELementis diſcordibus concinnaris, Iatrophile, quæ vi quadam mixtis alligata, noſtri corporis, cujus compoſitionem ſubeunt, diſſolutionem perpetuò moliuntur. Inæqualibus conſtas Temperamentis, quæ ſuæ originis memores, velut elementorum ſoboles, continuam mutationem patiuntur: Fruſtra quæris in corpore Temperamentum ad pondus; illud quippe fictitium eſt, ſique pro voto daretur, fluxile eſſet & momentaneum, fruſtraque Rabinorum illud os, Luz, inter Seſamoidea ſciſcitaris, quod nulli cenſent alterationi obnoxium; nullum etenim eſt è durioribus oſſibus quod mutationem non ſubeat; quaſi per ea crearetur etiam pernicies, per quæ totius cor-

poris moles & compago ſuſtinetur.

Sic conſtitutus, Iatrophile, tete debes inſpicere quaſi inconſtantiæ ſimulachrum, ætatis, imo horæ cujuſlibet ſpolium & miſerum tempeſtatũ anni mancipium; cum nulla ex his ſit, quæ temperiem non adulteret: Hyeme quippe congeſtâ pituita ſaginatus torpes quaſi ſepultus; Verno tempore ſurgere videris cum univerſâ natura quæ hyeme dormierat; in hacce tamen tempeſtate amœna, fit humorum in œconomia naturali ſeditio, ſævâ certe mercede contra ejuſdem naturæ munera: Æſtate ebullis influentis caloris tyrannide in perniciem congeniti; & Autumno humorum cineribus marcidus, totus effœtus Saturnico pares imperio. In Adoleſcentia ſanguinis orgaſmo videris igneus; In juvẽtute bilis ephodo flammeus; in Ætate conſiſtente tartareo ſucco delibutus; in Senecta exſuccus, ſola pituitæ ſarcina funerandus. Quid plura? ſi rerum quæ intra te ſunt ſedulus es indagator, obſervabis in teipſo quotidie Euripum ſeu qua-

druplicem humorũ reciprocationẽ; matutinis quippe horis ſanguinis auram benignam admittis; meridianis bile bulliente & bullante catullis; ſub veſperam melancholiæ aceto pungeris; & nocturno ſilentio imbre pituitoſo madeſcis; adeout ex illorum humorum fonte diverſa animi pathemata ſcaturiant; qui modo tenebris, modo luce circumfuſus, modo gelu, modo igne obſitus, gaudio, mœrore, ira, metu & ſpectris agitatus, tantarum procellarum ſcopulis cogitur tam diverſarum mutationum ſubjacere dominio.

Quid poteſt, quæſo, animus in tam verſatili ſepulchro & tam fragili ſimulachro? quid poteſt in tanta ætatum, tempeſtatum & pathematum viciſſitudine? quem, amabo, corporis ſtatum poteſt exquirere? in morboſo, bellum eſt quod rarius in majori quam in minori mundo accenditur: in utroque ſæpiùs inſidioſas experitur inducias, in perfecto mora eſt difficilis, ſemperque in eo receditur ſi non proceditur. Ad meliora igitur animum appellamus, men-

temque moleſtiarum pondere fere fatiſcentem ad altiora erigamus: ſinamus hanc in exquiſito amoris divini Temperamento conquieſcere, qui nullam poteſt inæqualitatem admittere: in nobilis quippe hujus Pathematis æſtu conſiſtit temperies; in exceſſu juſtitia, in inæqualitate æqualitas: hic enim cum venerit, cæteros in ſe traducit affectus, pareſque animos facit, ſi non invenit: amans quippe ſanctâ ſanâque inſania mente tranſlatus, parum ſe amare reputat, dum ſe ſe à Deo amatum conſiderat. Mirare, ſi lubet, talis amoris temperiem, qui in igne non ardet, in frigore non alget, in metu non pallet, in triſtitia non mœret: animus hoc amore fervidus in bilis ardore non accenditur, in ſanguinis motu non agitatur, in pituitoſo dominio ſomnolentiæ fomite non laxatur, in ſucco melancholico non ſternitur: ſolus hic amor infantiæ neſcit ignorantiam; juventutis furorem; ætatis conſiſtentis mœrorem, ſenectutis imbecillitatem. Si ejus virtutem noveris aut ſenſeris; tanta eſt,

Verum & æquale animæ temperamentum, amor eſt.

ut inſuperabilem ſuperet, eumque ſubjiciat cui ſubjecta ſunt omnia; is ærumnis non fatigatur, in anguſtiis coarctatus non premitur; territus non conturbatur; imò animus percúratur, dum grato hoc vulnere ſauciatur; in eo enim quod amatur aut non laboratur, aut ſi laboratur, & labor amatur. *Auguſt.*

Verùm quis modus talem invenire amorem, ubi ſine modo modus eſt; qui modi neſcius aut impatiens ſupra modum ferveſcit, ubi onus ſine onere, ubi ſine pondere pondus? Funde, inquit Auguſtinus, amorem ſæculi ut implearis amore Dei; exue cupiditatem ut ſentias charitatem; averte amorem à temporalibus, & eum mundatum ad æterna converte; quantum enim à te poteris exire, tantum ad amorem divinum poteris tranſire. Sic igitur recede, Iatrophile, ut accedas; ſic extingue ut accendas; ſic idolum philantiæ deſtrue, ut inſtruas; hoc enim pacto plenitudo & perfectio amoris inſtruitur; hoc heroïco pathemate corporis integritas comparatur; εὔθυμα tanto- *Lib. 1. de libero arbitr.*

pere expetenda conciliatur & creatura ſuo Creatori aſſimilatur. Si enim unio quæ naturæ votum eſt, non niſi è contrariis reſultat, amor hic, verum animæ deſiderium, non poteſt niſi ex hoc contrarii amoris conflari divortio. Sic igitur ora, Iatrophile, ſic propera in hac divini amoris ſemita, ut uno hoc ſtes Temperamenti pondere, hâc viciſſitudinis expers ſubſiſtas æqualitate, hâc una ſubſiſtas temperie & juſtitiâ, quæ per latum lætumque exitum à miſeria; viam ſecuram ſtruat ad immortalitatem.

# MEDICINÆ
## THEORETICÆ MEDVLLA.

*Phyſiologiæ pars ſecunda, quæ eſt de Humoribus.*

QVuicquid profluentis ſubſtantiæ ac liquidæ conſiſtentiæ, ſeu utilis ſeu noxiæ, in noſtro corpore continetur, Humoris nomine apud Medicos comprehenditur, qui propriè corpus eſt liquidum ex Elementorum mixtione ortum.

Eſt autem in genere Humor duplex; congenitus unus, ſeu primigenius, qui à noſtræ generationis principiis nobis ineſt; alter poſtgenitus, qui in corpore conſtituto cumulatur. Poſtgenitus duplex; unus alimentarius; alter excrementitius. Alimentarius eſt corpus liquidum ex alimentorum ſucculenta portione in nobis genitum, ad noſtri corporis nutritio- Humoris differentiæ.

nem à Natura deſtinatum. Vulgo duplex eſt; nobis triplex. Primus (qui omitti ſolet ab omnibus) Chylus eſt. Secundus, qui vulgo primus, quadruplex eſt; Sanguis, Bilis, Pituita, Humor melancholicus. Tertius, aliàs ſecundus dictus, quadruplex item eſt: Inſitus, Ros, Gluten & Cambium. Excrementitius quoque duplex; Vtilis & Inutilis. Vtilis eſt qui ad uſum & finem aliquem dirigitur; is in duplici eſt differentia; unus enim ita uſum præbet in corpore ut ad individui, alius ad ſpeciei conſervationem à natura dicatus ſit. Ille quadruplex eſt; Pituita, Bilis, Humor melancholicus & Serum: hic vero triplex; Semen, Sanguis menſtruus & Lac: Inutilis alius naturalis eſt & ordinarius, qui fit ex neceſſitate, & naturæ ex conſueto agentis ordinem ſequitur: & duplex eſt, Stercus & Lotium. Alius præter naturam, qui præter naturæ inſtitutum aliquando in nobis gignitur, naturalem tamen ſervat conſtitutionem, nec omnino contra naturam eſt, ut *Sudor*, Lacrymæ, Sputum & Mucus.

Nutritiorum humorum primus, Chylus eſt, quem miror ab omnibus fere Authoribus prætermiſſum; cum ex eo reliqui humores alimentarii & excrementitii generentur. Eſt autem Chylus, liquida, candida & cremori ſimilis ſubſtantia, ex aſſumptis alimentis in ventriculo genita, ad ſanguinis generationem & corporis nutritionem comparata. Hujus cauſa efficiens certa eſt temperies vel totius ſubſtantiæ proprietas, cujus actionis præcipuum inſtrumentum calor eſt ipſi ventriculo inſitus; vel externus, hoc eſt Iecoris, Lienis, Pancreatis & Omenti adjutus calore, quo fit ut cùm ventriculus non poſſit in ſuam ſubſtantiam alimenta aſſumpta convertere, ſaltem ſimilitudinem quandam imprimit, id eſt candorem ſuo analogum; quo comparato ceſſat ejus qualitas, & Chylus tanquam onus in inteſtina, dein in venas Meſaraicas, venam Portam & Iecur, in alium finem ablegatur. Chylus.

Ex diſſimilitudine ſubſtantiæ Chyli nova exurgit humorum in Hepate Alimentarii quatuor hu-

mores adſtruuntur. differentia, qui nobis ſecundi, vulgo primi ex Chyli omiſſione appellantur; quique in venis confuſi, ad minimas uſq; totius corporis partes diffunduntur. Horum autem ſuccorum diverſitas aſtruitur ex diverſitate nutriendarum partium, & catharticorum quovis anni atque ætatis tempore diverſos humores trahentium; ut & vario ſanguinis colore. Sed quaternarius horum numerus conſtituitur ex analogia quam habent cum quatuor communibus omnium mixtorum elementis, quorum qualitatibus reſpondere debent; ex collatione cum quatuor anni temporibus & ætatibus, imò & cum generalibus tumoribus in quibus humorum differentiæ innoteſcunt, Phlegmone quippe fit à ſanguine; Eryſipelas à bile, Ædema à pituita, Scirrus ab humore melancholico.

Verùm numerus hic humorum à multis improbatur; qui Bilem, Pituitam & Melancholiam in venis materiam ſanguinis & eſſentiam complere agnoſcunt; nullum autem

ſuccum qui ſeorſim ſanguis dici poſſit : quod probant ex triplici putridarum febrium genere à Galeno conſtituto ; Tertiana à flava Bile; Quartana ab atra ; Quotidiana à Pituita, ſed nulla à Sanguine. Item à triplici Lactis ſubſtantia ; ejus enim butyroſa pars Bili , caſeoſa Humori melancholico , Seroſa Pituitæ reſpondet;at nulla quæ ſeorſim Lac dici poſſit , nulla quæ Sanguini reſpondeat. Nullum item datur Catharticum Aimagogum quod ſanguinem educat, cùm cætera dentur quæ alios humores eliminent. Sed ſi in ſanguinis maſſa ſanguis vere dictus non contineretur ( quod hæ contendunt rationes) unde rubor huic accederet; cum Pituita alba ſit , Bilis una flava & altera nigra ? Nec argumenta allata valent ; Sanguis enim ſine periodo in venis putret , unde Synochus putrida ; dum vero per putredinem naturam mutat , ſæpius tertianarum typum ſequitur dum in Bilem degenerat. Quod autem de triplici Lactis ſubſtantia dicitur , butyroſam ſanguini eſſe analogam fatendum eſt ;

ut & perpaucam eſſe ſubſtantiam, quæ Bili reſpondet; alioquin ſi hæc dominaretur, non dulcedo, ſed amaror Lacti conciliaretur: Cùm vero Sanguis ſit primus naturæ parens & ejus theſaurus, nullum debuit inſtitui Aimagogum quod eum è venis educeret, nobis quippe præſens eſt Phlebotomia, cujus beneficio ad libitum pro rei neceſſitate è venis educitur.

Nec magis admittendi qui ſolum in venis ſanguinem nutritium volunt; etenim nobis potior eſt Hippocratis ſententia, qui libro de Natura humana tantam humorum prædictorum in homine neceſſitatem ad vitam eſſe aſſerit, ut quovis ſublato hominem dolere aut occumbere, neceſſe ſit, non minus quam ſi vero ſanguine privaretur. Quod ſi videatur ſolus nutritius ſanguis, quia dulcis eſt; agnoſcendum quidem eſt eum magis cæteris humoribus nutrire, quorum alii inſipidi, amari & acidi, nec tamen ſinceros nutrire humores, ſed commixtos; eâ proportione, ut in ſanis ac temperatis

verus Sanguis cæteros quantitate antecellat; ac deinde Pituita, tum Humor melancholicus; ac tandem Bilis flava omnium pauciſſima ex Galeno. Etenim Lien Humori melancholico deſtinatus, capacior eſt Cyſte fellis, tum etiam quia detracto ſanguine fæx copioſior in fundo vaſculi apparet quam in ſummo flos, quibus uterque humor comparatur. *Cap. 6. de plantis.*

Si quæras omnium horum Humorum cauſam efficientem; ea omnis petenda eſt ex uno Hepatis calore, qui in heterogeneas Chyli partes æqualiter penetrans, ex ignea ejus portione Bilem; ex aquea Pituitam; ex magis temperata Sanguinem, ut è terreſtri & magis tartarea, Melancholiam unâ & eadem actione producit: Robuſtus quippe & vegetus Iecoris calor, pro varia patientis diſpoſitione pari agens virtutis robore, omnes ſimul una & eadem operâ perficit, eo quo ſol modo lutum indurat, ceram liquefacit, linteum dealbat & cutim atro colore inficit. Humorũ cauſa.

Qui hic examinatur Sanguis, non Sanguis naturalis

Bilis utriuſque & Pituitæ eſt particeps; ſed purus & ſincerus in venis contentus, qui proprie eſt humor alimentarius, calidus, humidus, colore ruber, ſapore dulcis & conſiſtentia mediocris, qui ex copioſiore & meliore Chyli parte in Hepate genitus, ad totius corporis nutritionem & nativi caloris conſervationem per venas diſtribuitur. Ex hac definitione patet, ſanguinem qui vitæ eſt fomes, debuiſſe eſſe calidum & humidum moderate, quia hæc in calido & humido poſita; eſt imo & ſaporem dulcem nactum eſſe; quæ enim talia ſunt, facilè in nutritionem abeunt, quam mediocris conſiſtentia juvat; quam fibræ ſatis copioſæ in Sanguine perficiunt; quarum etiam ope in propriis locis nunquam, extra vaſa facillime concreſcit, ut docent Hippocrates & Ariſtoteles hoc argumento: quod ſanguis cui vel demptæ ſunt vel corruptæ fibræ, vel ut cervorum & damarum ſanguini à natura denegatæ; à frigore non coaguletur. Cujus ſanguinis uſus & finis eſt, ut immediatè & per ſe par-

*Lib. de carnibus & de partibus animal.*

tes carnoſas conſtituat, augeat, & conſervet; ſpermaticas vero mediatè; & etiam calorem nativum inſitũ, influente quem in ſe continet, foveat atque reparet; unde in animali tantum eſt caloris quantum ſanguinis; ut vitali ſanguini atque ſpiritui continuam materiam ſubminiſtret.

Pituita quam hic perſcrutamur, humor eſt alimentarius, frigidus, humidus, albus, inſipidus, ex frigidiori atque crudiori Chyli portione in Hepate genitus, ad partium frigidarum humidarum una cum cæteris humoribus nutrimentum in venis contentus. Ex qua definitione patet, talem Pituitam dici frigidam humidam non abſolutè, ſed comparatè, idque contingere partim ratione crudioris & magis aqueæ Chyli portionis ex qua conſtat; partim defectu coctionis, non ex parte cauſæ efficientis, Hepatis ſcilicet, ſed materiæ reſiſtentis; mora enim diuturniore tandem excoquitur, & in ſanguinem vertitur. Hujus autem Pituitæ triplicem uſum agnoſcere licet; nec enim ideo tantum generatur, ut frigidas & Pituita naturalis

humidas partes una cum ſanguine nutriat, & ut ejuſdem ſanguinis & reliquorum humorum æſtum temperet, ſed etiam ut alimenti inopiâ in ſanguinem convertatur: Vnde forſan nullum fuit eius redundantiæ excipiendæ, ut cæteris humoribus, ergaſtulum à natura deſtinatum.

Bilis naturalis.

Bilis nutritia naturalis æſtati, & juventuti, non minus quam igni analoga eſt, quem colore, conſiſtentia, activitate & mobilitate refert. Definitur Humor alimentarius, calidus, ſiccus, flavus, amarus, tenuis, ex calidiori Chyli parte in Hepate natus, una cum ſanguine ad calidarum partium nutritionem per venas diſtributus. Nolim exiſtimes ſolum eſſe uſum Bilis, ut partes ejuſdem temperiei nutriat; ſua enim tenuitate ſanguinis juvat anadoſim, & ſuo ſapore, ſalis inſtar, cæterorum humorum dulcedinem condit aut inſipiditatem. Nec diverſi generis ſunt, flava & pallida Bilis, licet flava in naturis calidioribus, pallida in minus calidis ſoboleſcat; quæ etiam ex aqueæ cujuſdam ſubſtantiæ mixtione

ſuam poteſt ducere originem.

Succus Melancholicus ætati declinanti, Autumno & Terræ analogus, ratione craſſioris ſubſtantiæ, definitur, Humor Melancholicus, frigidus, ſiccus, craſſus, niger & auſterus, ex terreſtri Chyli parte unà cum cæteris humoribus nutritiis in Hepate genitus, ad partium Melancholicarum nutritionem per venas diſtributus. Nec huic tantum rei inſervit, ſed etiam ut ſanguini conſiſtentiam addat, & partes ea qua pollet virtute roboret, firmioreſque reddat; imo etiam ut animo ſapientiam, judiciũ, atque ſolertiam concilict, ex mente Ariſtotelis, præſertim ſi certa bilis portione temperetur; Bilis enim facit ut rem facile concipiamus; Succus Melancholicus, ut conceptam ſedulo meditemur.

Succus Melancholicus naturalis.

*Proble-mate 1.*

Non priùs Humores quatuor alimentarii deſcripti ad partes nutriendas pulſi vel tracti, in earum ſubſtantiam abeunt, quàm varias mutationes experiantur, & præſertim quatuor, ex quibus totidem Humores naſcuntur, qui vulgo ſecundi, no-

Tertii humores alimentarii, vulgo ſecundi dicti.

bis tertii dicuntur.

Prima autem alteratio fit, dum è venis Capillaribus & earum orificiis illabens Humor in partem nutriendam inſeritur, unde inſitus vulgo innominatus dicitur. Secunda, dum ex ipſis venarum oſculis in ipſa partium ſpatia roris inſtar illabitur, unde Ros dicitur. Tertia cùm pars eo rore perfuſa, eum ſibi agglutinat, unde Gluten. Quarta Cambium dicitur à cambire, hoc eſt immutare, dum Gluten in propriam partis ſubſtantiam convertitur: quæ certe differentiæ ſunt potius ſanguinis alterationes, coctionis gradibus tantum diſtinctæ, quam veræ ac reales humorum ſpecies.

Humores excrementitii utiles.

Diximus Humores excrementitios utiles, vel individuo vel ſpeciei conſervandæ deſtinatos eſſe: illos quatuor eſſe, Pituitam, Bilem, Humorem Melancholicum & Serum; hos tres tantum eſſe; Semen, Sanguinem Menſtruum & Lac.

Pituita excrementitia.

Vbicumque ſubnaſcitur Pituita, præter quàm in venis ſecundum naturam, excrementia dicitur. Hujus

autem multiplex eſt generatio pro loci diverſitate; alia enim in ventriculo generatur, quæ ejus parietibus adhæreſcit, ut ab illius præſentiâ humectetur; imò & alimentorum, venenorumque prava qualitas hebetetur, & cibi ſine potu interjecto devorati madeant & facilius excoquantur; quæ Pituita vel in Chylum abit, vel ſecedens ad Hepar, in alimentariam Pituitam convertitur. Alia Pituita internis inteſtinorum tunicis adhærere ſolet, ut viâ lubrica facta fæces faciliùs eliminentur: alia in articulis facilioris motûs ratione & vitandæ in iis ex nimio motu ſiccitatis congeritur. Galenus Salivam naturæ providentia in cerebro genitam, in tonſillis admiſſam & in os expreſſam agnoſcit; ut per eam cibi maſticati perfundantur, atque linguæ ac palato ad loquendum, faucibus & œſophago ad deglutiendum, ventriculo ad coquendum mador utilis accedat: Ab eodem fonte cerebri ſcaturit huic affinis Pituita, quæ in utrumque oculum depluens, à glandula lachrymali utriuſque oculi ma- *6. Epidem.*

jori angulo oppoſita excipitur, ut eâ madentes oculi ad motum fiant aptiores.

Bilis & Melancholia excrementitia.

Natura duo conceptacula efformavit, ut duplex Humor, Bilis & Melancholia ad nutriendum minus idonea, ex humoribus nutritiis in Hepate genitis exciperetur; illam bilem ſcilicet cyſtis fellis jecoris cavis ſuppoſitam, hanc Melancholiam licet innata proprietate, non nutritionis ratione ſugit: Nec utramque putes inutilem, quamvis nutritioni ineptam; Bilis enim in inteſtinum Duodenum per meatum Cholidocum è cyſti fellea amandatur; tùm ut clyſteris naturalis inſtar ad excretionem inteſtina ſtimulet; tùm ut craſſam Pituitam inteſtinis adhærentem detergeat.

Qui vero fæculentus & tartareus humor à jecore amandatur, in Lienem per ramum Portæ, Splenicum dictum, tranſmittitur, vel potius attrahitur; quem amplarum arteriarum beneficio attenuat, ne hoc limo & craſſiori ſucco obſtruatur; ſic præparatum ſibi aſſimilat; quem verò

tranſmutare non potuit, partim in ventriculum per vas breve effundit, ut ſua aciditate appetentiam excitet, partim ut ciborum coctionem juvet; contractus quippe ejus ope ventriculus diutiùs cibos complectitur & retinet: ſi alia hujus humoris portio regurgitet, hunc per Hæmorrhoidales venas tentat Natura excludere.

Quale eſt in Lacte Serum, tale eſt Excrementum quod in venis & arteriis aſſervatur; quod Serum propriè eſt tenuis & aquea ſubſtantia, vel ex potu vel ex magis aquea cibi parte orta; tranſvehendo primùm Chylo, tum ſanguini diluendo, atque ad extrema venarum oſcula deducendo à Natura comparata. Hinc videre licet Serum, ut cenſet Hippocrates, proprie eſſe ὄχημα τροφῆς, ſeu vehiculum alimenti; quem uſum ubi explevit, vel à renibus per venas & arterias Emulgentes à ſanguine ſecernitur, & in Veſicâ tranſmittitur, ubi urina dicitur; vel per hab tum corporis & cutis meatus, partim per habitum & inſenſilem tranſpirationem reſolvitur; partim violento mo-

*Serum.*

*Lib. de alimēnt.*

tu confertim erumpens in ſudores abit, unde inter excrementa ſecundæ & tertiæ coctionis Serum recenſeri poteſt. Suum porro unicuique Humori Serum eſt, quod Sanguinis mitiſſimum eſt, atræ bilis infeſtiſſimum; minus flavæ, minus autem quam hoc Pituitæ.

Semen.

*Lib. 1. de gener. animal.*

Non dubitamus Semen excrementum dicere, cùm ex mente Philoſophi nec pars, nec alimentum, nec colliquamentum corporis ſit, ideoque Semen (humanum ſcilicet) humor eſt excrementitius, calidus, humidus, albus & ſpumeus, ſpiritibus undique perfuſus, ex ultimi Teſtium alimenti reſiduo in ipſis genitus ad hominis generationem, & ad ſpermaticarum partium conformationem à Natura intentus. Seminis cauſa primaria efficiens, anima eſt, vel eius facultas σπερματοποιητικὴ; ſecundaria verò ſeu inſtrumentalis, ipſi Teſtes in quibus facultas illa ſedem habet. Forma ſeminis duplex: una accidentaria, quæ in colore & conſiſtentia poſita eſt; interna altera, quæ facit ut ſemen ſit id quod eſt. Hæc autem,

ut cæteræ, nobis eſt incognita, vel proprium eius temperamentum (Medicè tamen loquendo) vel facultas quædam procreatrix & divina dicenda eſt, quæ ſpiritûs & caloris miniſterio opus ſuum perficit; à qua forma habet Semen ut vivere dicatur; vi enim ſibi inſita ſeipſum conformat, multiplici cietur motu, nutritur, augetur, ideo non tantum potentia, ſed etiam actu animatum dici poteſt, non anima rationali, aut ſenſitiva, ſed vegetante?

Non ex ſua natura & eſſentia Sanguis Menſtruus excrementum appellatur; ſed abuſivè & impropriè, & eâ tantum ratione quod periodicè excernitur. Quod enim propriè excrementum eſt; id etiam cum adhuc eſt in corpore, excrementum dici poteſt, licet non excernatur: Verùm ſanguis hic à toto ſanguine in reliquis venis contento non diſtinguitur, & hæc ſanguinis portio potius evacuatur quam alia; quia parti ei eſt vicinior per quam κατὰ λόγον ſanguis redundans debet excerni in muliere. Rurſum eandem mate- Sanguis Menſtruus.

riam & formam habet cum reliquo ſanguine, dum enim retinetur in gravidis, genuinum eſt fœtus alimentum, & in puerperis dum ad mammas refluit, earum vi in lac mutatum, ſinceram infanti nutritionem præbet: Nec dicas ſaltem eſſe excrementum ſola quantitate peccans, illud enim excrementum ſola quantitate peccare dicitur, quod natura ſua excrementum eſt: ut ſemen in ſuis vaſis; ſerum in venis; lac in mammis, cum debitam mediocritatem non ſervat.

*Cap. 15. lib. 7.* Nec magis objicias, malignas venenataſque Sanguinis Menſtrui qualitates, quibus, ex mente Plinii, novellæ vites areſcũt, hortorum gramina exuruntur, ſpecula maculantur: nec enim hæc menſtruo conveniunt ut excremento, ſed quatenus pars eſt reliqui ſanguinis vitioſi, vel pars ſanguinis laudabilis, quæ per moram in locis muliebribus putredinem contraxit.

Ex his patet, Menſtruum Sanguinem ſic poſſe definiri: Sanguis in muliere ſuperfluus, in venis uteri aut ei proximis cumulatus, ad hominis

generationem & fœtus nutritionem à Natura deſtinatus, alioquin ſtatis periodis per loca muliebria excernendus.

Incipit autem Menſtrualis illa eruptio ſecundo ſeptenario, & deſinit ſeptimo ſeptenario, ideſt circa quadrageſimum nonum ætatis annum; Sanguis enim ille catulliens excretionem illam promovet. Cujus eruptionis periodicæ ſingulis menſibus cauſam Ariſtoteles refert in Lunæ lumen & motum, cujus imperio paret hic humor, non ſecus ac mare quod in plenilunio intumeſcit, & eodem ceſſante, ſponte detumeſcit. Hac ratione ſola mulier & lunaris & menſtrualis dici poteſt, licet ex mente Ariſtotelis, quadrupedibus viviparis menſtruorum purgationes eveniant, hæc enim craſſiorem tantum urinam excernunt, non cruorem. Cæterum in hoc virum à muliere cauſa finalis diſtinxit, menſtruo quippe debebat carere vir, qui fœtum non eſſet geſtaturus. *Lib. 6 de generat. animal.*

Totam Lactis naturam ex eius definitione concipies. Lac benignum *Lac.*

eſt ultimi mammarum alimenti excrementum; album & humidum, in calore moderatum, ex menſtruo ſanguine à proprio mammarum temperamento in ipſis genitum, ad fœtus in lucem editi nutrimentum à Natura deſtinatum. Refluit igitur ſanguis ex vaſis uteri ad mammas, tertio aut quarto graviditatis menſe ſenſim, quia ex Hippocrate hoc tempore fœtus grandior uterina vaſa ſanguine tumentia comprimit, qua compreſſione fit ad mammas expreſſio; fœtu autem edito affatim Naturæ providentia ad fœtus nutritionem per venas Epigaſtricam & Mammariam, quarum conſenſus Hippocrates & Galenus prædicant. Cauſa autem finalis facit, ut ante conceptionem lac non generetur, quamvis concedi poſſit crudum & dilutiſſimum ex ſuppreſſione menſtruorum generari poſſe, non verum nec exquiſite coctum.

*Lib. de natura pueri.*

*Humores excrementitii naturales inutiles.*

Confecto Chylo in ventriculo & in gracilia inteſtina depoſito, quicquid in eo tenue eſt & liquidum, id venæ Meſaraicæ ſugunt, atque ad

Hepar devehunt; quod fæx eſt & reſiduum in craſſioribus inteſtinis iſtius tenuioris portionis, ſtercus appellatur; quod ſubrufum eſt à Bilis è cyſti fellis in Duodenum delapſu.

Vrinæ naturam ex iis quæ de Sero diximus, expromere licet; quæ formam in Hepate, in Renibus ſecretionem adipiſcitur: unde dici poteſt Excrementum ſecundæ coctionis tenue & aqueum, à toto ſanguine vi renum ſecretum, & ab iis per Vreteres in Veſicam depoſitum.

Huic autem triplex materia aſſignatur; Prima, omnis potio ſeu materia potulenta: Secunda, Serum quatuor humorum in vaſis contentorum; Tertia, Humores omnis generis, nec-non omnia quæ liquari poſſunt, ut carnes & adeps. Huic calor ex Bilis admixtione accedit; ſine qua alba & aquea excernitur.

Diximus quatuor eſſe Humores, qui præter naturæ inſtitutum aliquando in nobis generantur, naturalem tamen & ordinariam conſtitutionem ſervant, nec omnino ſunt contra naturam, ut Sudor, Lachry-

mæ, Sputum & Mucus.

Sudor. Sudor, humor excrementitius præter Naturam dicitur; non ratione materiæ ſeu ſubſtantiæ; eadem quippe eſt cum Sero in reliquis venis contento materia; ſed tantum ratione modi quo excernitur: eſt enim præter naturæ intentum, quod per cutim vacuetur, cùm id in perfectè ſanis naturaliter non contingat, ſed tantum à cauſa non naturali, ut Balneo, Hypocauſto, calidiori aëre, exercitio violentiori, imo à plethora & humida corporis intemperie: Quamvis enim natura Sudori expurgãdo videatur cutis poros deſtinaſſe, & eo ſæpius juvetur; ideò tamen non debuit naturalis dici; alioquin idem eſſet dicendum de Sanguine, cujus excretio, licet criticè facta, toto genere excretæ ſubſtantiæ præter Naturam eſt; nec Sudori pori aperti ſunt ex Naturæ intento, ſed fuligini excernendæ deſtinati: Ex his Sudor eſt Seri in venis contenti confertim per cutim in aquæ ſpeciem facta præter naturam excretio.

Lachryma. Nobis præter naturam lachryma

dicitur, non quandiu ſenſim è cerebro fluens in glandulas excipitur, ut irrigatus oculus ad motum fiat aptior, ſed dum affatim irruens à cauſa aliqua, non naturali, ut vento, fumo, frigore, nec non gaudio vel triſtitia, in oculos aut ſubjectas partes excipitur. Sic Lachryma humor eſt aqueus ac ſeroſus ex oculorum glandulis in ipſos oculos præter naturam diſtillans.

Sola ſede Sputum & Mucus videntur diſcrepare; utrumque enim excrementum eſt pituitoſum, craſſum, lentum, album, modò crudum, modò coctione inſpiſſatum: ſed illud, ſputum ſcilicet, in partibus reſpirationi dicatis generatur, & tuſſiendo excernitur; hoc verò per palatum & nares effluit: Illud ſi coctionis notas habuerit, πτύελον; ſi incoctum, Coriza dicitur. Sputum & Mucus.

# MEDICINA ANIMI,

SEV

## *COROLLARIVM TERTIVM: ad Humores.*

SI noris fluxilis compagem corporis, Iatrophile, te noſces omnium impuritatum ſaburram, & veluti ſentinam, in quam omnis generis illuvies detruditur. Si memor es tuæ originis; animadvertes te in utero, velut in paluſtri carcere tumulatum, ante libertatis uſuram, cepiſſe vitæ infauſta primordia: in hoc quippe humidiſſimo cœno, leviſſima ſeminis bulla, ſeu effervеſcentis libidinis ſpuma primam hominis telam orditur; quæ paulatim ſanguinis menſtrui admittit conſortium, ut duplici excremento, eoque ſordido, tota corporis extura cõcinnetur. His turgidus humoribus, fœtus, quandiu verſatur in utero, in aquis fluitat obſcœnis, & velut alter Moïſes, undoſo innatat ſubſterniculo,

ſubſterniculo, adeout materno obſitus lotio & ſtercore, vitam cogatur quærere in ſterquilinio.

Sæpiùs in ipſo vitæ fonte tumulum fœtus nanſciſcitur, dum nimiâ illâ aqua obruitur, aut ligamenta uteri luxuriante humiditate relaxantur; quo fato damnatur tenebris antequam lucem videat. Quod ſi partus commodus vincula fœliciter ſolvat, vix natus Meconio ſeu ſordido illo excremento os ejus obſidetur, quod aëri pulmones affectanti libertatem eriperet, niſi officioſa manus illam partem noxio hocce tabo expediret. Exul hic vitam lachrymis malorum præſagus ſalutat; quam non poteſt niſi crudato ſanguine, ſeu lacte ſæpius malefico ſuſtentare; quod contagioſis Nutricis moribus, non ſecus quam venenata corporis qualitate ebrium, corpus animumque infantis inficit. Hinc ſæva animi pathemata; hinc Epileptici inſultus, nauſea, vomitus, luens pœnas peccati nutritii morborum iliade; quibus ſi hæreditarios addas affectus in ipſo ſanguinis menſtrui & ſemi-

nis commercio & maleficio contractos in utero, jure merito eum malorum morborumque faſciculum vocitabis. Nec putes effœtum in illa ætate prima infantem, his tantum patere humorum injuriis; horum quippe in vaſis reſtagnantium toto vitæ curriculo obſidetur ſordibus, ipſa enim alimenta quibus nutrimur, morbi mortiſque idæam ſecum ferunt & characterem. Nec mirum ſi quotidie morimur, quia tot mortuis vivimus; unde ſi rem totam animo reputes, Iatrophile, concretionem te eſſe exiſtimabis univerſi corporis putreſcere facilem, & quaſi maſſam ex Muco, Sputo, aliiſque impuritatibus conflatam: ex Humorum quippe intus genitorũ veneficio, Vermes, Scarabei, Viperæ, Inſectaque, in ipſo etiam corpore, tanquam in ſolo natali pullulant; quæ miſerum hominem morbi, mortiſque conſtituunt mancipium. Nec vitæ fœlicem ſanitatem ſperes ex puritate ſanguinis; qui enim primus eſt naturæ parens ſanguis, ejuſdem ſæpius hoſtis eſt, ex eoque non raro maligna quæ-

dam aura ſcaturit, quæ ſuæ memor originis, cor ſolem vitæ vel obſcurat, vel extinguit. Sic parum ſecura vita eſt, quæ natat in ſanguine, & fluxili ſtat in purpura; parum, inquam, ſecura, copioſo & pingui humido radicali innixa; ſi enim tenuitatem ſpectes, cito ſolvitur; ſi paucitatem, tam exiguo oleo vitæ lampadem diu foveri non poſſe dignoſces.

Verùm, Iatrophile, ſi noveris ſcientiæ Medicinalis lumine, te excremento fingi, te philtrato menſtruo nutriri in materno ergaſtulo, te putredinoſo conſtare fimeto; quid inſoleſcis qui putredo & fimus es? quid turges ſuperbiâ, qui humorum fœtidorum illuvie tumidus es? quid animo ſuperbis, qui Phalangii, Tarantulæ ludus es, quæ humorum ſeditione mentem concutit, niſi eam muſica cicurato tabo priſtino ſtatui reſtituat? quid adulantis extolleris honoris titulis, cœlorum ſpectator & creaturarum epitome, ſi Humorum putreſcentium dominio malorum morborumque acervus efficeris? quid animantibus imperare elato ſuperci-

lio gloriaris, qui ſubdola animalium aura, velut canis rabie, rationis privilegio exueris?

In hoc igitur Humorum corpus obſidentium imperio humilitatem diſce; etſi ſuperbiæ ſpiritus obluctetur, diſce & manſuetudinem quæ illius partus, mater aut ſoror eſt: Diſce putredini dicere, *Pater meus es, mater mea & ſoror mea, vermibus*: Diſce, Iatrophile, qui avorum ceras famoſas, fumoſaſque jactitas imagines, quid fueris initio; bulla ſeminis leviuſcula: quid ſis in progreſſu; Sercina putida; quid eris; vermium & inſectorum ſagina & miſera victima. Sic parentes agnoſce, vermis; ſic tumorem depone, homo de humo; ſic tuo te limo obline, limus; ſic cœnum tuum attende, ut obtuitu cœni cœlum tibi poſſis comparare; ſic corpus impurum ſeu verſatile ſepulchrum ſic conſidera, ut fœtidis humoribus emollitum, ad animi medelam tibi ſemper dehiſcat.

# MEDICINÆ
## THEORETICÆ MEDVLLA.

*Phyſiologiæ Pars Tertia, quæ eſt de Partibus.*

LATA eſt definitio Partis quæ à Galeno traditur: Quicquid totum complet & integrat; eo enim ſenſu Hippocrates diviſit corpus humanum in continentia, contenta, & impetum facientia; hoc eſt in partes ſolidas, humorales ſeu humidas & ſpirituoſas; quo ſignificato Sanguis, Humores, Lac, Semen, Adeps, Pili, Ungues, inter partes ab Ariſtotele numerantur. Verùm magis propria & ſtricta eſt illa definitio, quâ dicitur Pars, corpus toti cohærens, communique vita cum eo conjunctum, ad illius functionem uſumque à Natura comparatum: Qua definitione ſpiritus excluduntur, quia non ha-

*Lib. 1. Medend. cap. 5.*

*Lib. 6. Epidem.*

rent conjuncti, ſed huc illuc oberrant, ut etiam humores; licet enim aliqui firmiter partibus fixi adhæreant, quia juncti non ſunt perfecta adhæſione, nec communi vita participant; ut neque calli, verrucæ, tophi & tumores, qui licet alantur & vivant, tamen nullum uſum, ſed potius incommodum præſtant, inter Partes legitimè non poſſunt recenſeri.

An Adeps, Medulla, Pili & Vngues, ſint partes.

Major verò difficultas eſſe poteſt de Adipe, Medulla, Pilis, Vnguibus & id genus aliis; videntur quippe communi vitâ cum toto potiri, proindeque partes poſſe appellari. Adipem tamen partem eſſe nullo modo ſtatui poteſt; pinguior quippe eſt ſanguinis portio, quæ in ſanguinem minime vertitur, ſed quæ membranis adhæreſcit, quarum frigore concreſcit; nullam habet propriam figuram nec circumſcriptionem, per inedias teſte Galeno abſumitur, & in cæterarum partium cedit nutritionem.

De Medulla diſtinguere licet, quæ enim ſpinalis dicitur, verè pars eſt,

non minus quam Cerebellum cujus propago eſt; quæ non modò uſum, ſed & functionem præſtat, proindeque vitam habet; eſt enim motûs & ſensûs inſtrumentum; & nervorum plurimorum principium: ſed quæ Medulla in exilibus oſſium cavernis latet, vel majores horum cavitates replet, utraque oſſium eſt alimentum, ut ſanguis carnium ex mente Hippocratis; licet Ariſtoteles excrementum vocet; ſicque nec vitam habet, nec Partis nomine poteſt appellari. *Lib. de alimētis.*

De Pilis & Vnguibus, ſi nobis peculiarius philoſophari licet, dicemus libenter Pilos & Ungues vivere, quia nutriuntur, non tantum appoſitione materiæ, ſed intus ſuſceptione & ab interno principio. Primò, quia ſi per appoſitionem tantùm viverent & creſcerent, dum caneſcunt Pili, pars cuti prior albeſceret; reliqua eorum parte nativum colorem retinente: at contra fit, nam vel ſimul toti derepente cani, vel extrema priùs ſui parte quàm radice tales fiunt. Secundò, certam habent Pili & Vngues

incrementi metam, in aliis longiorem pro temperamento, breviorem in aliis; ad quam ubi pervenere, non ulteriùs progredi videtur eorum accretio, & reſecti rurſum creſcunt, donec ad eandem redierint; quod ſtirpibus, animalibus, eorumque partibus proprium eſſe ait Philoſophus. Tertiò, eadem Pilorum & Vnguium quàm pennarum, roſtrorum, & calcarium in animalibus, concharum, teſtarum & cochlearum in oſtreis ac piſcibus, ratio eſt; at hæc maniſeſtiſſime verâ ac propria accretione in certam dimenſionem, circumſcriptionem & figuram, non ſecus ac ſtirpes, adaugentur; reſtat igitur ut vivant; non quidem anima ſentiente, multò minùs rationali, ſed peculiari ac propria, quæ ſit vegetans; quâ diſtinctione à partium vera definitione excluduntur. Sed quia toti firmiter adhæreſcunt, in eo radices agunt, ab eo alimentum ſumunt, & in eo uſum ſaltem, ſi non actionem, edunt, ideo medio modo ſe habere inter verè & propriè partes appellatas exiſtimamus.

*1. Phyſic. cap. 4.*

*Galenus lib. de compoſ. Medic. ſecundum locos.*

Diviſio omnium frequentiſſima & magis neceſſaria ea eſt, quæ ex earum eſſentia depromitur, quam ſenſus ſimplicem ſeu ſimilem, & diſſimilem ſeu compoſitam concipit. Hinc Partium aliæ ſunt Similares; aliæ Diſſimilares. Multiplex partium diviſio & differentia.

Similares partes ſunt eæ quæ in partes ejuſdem naturæ ſeu ſimiles dividuntur; ſive quarum omnes particulæ tum inter ſe, tum etiam toti ſimiles ſunt. Eæ ſunt in duplici differentia, pro gemina ex qua natæ ſunt primùm, materia: aliæ enim ſunt ſpermaticæ, quæ immediatè ex ſemine ortum habent, quæ quia ſua firmitate cæteras ſuſtinent & confirmant, ſolidæ dicuntur: aliæ carnoſæ ſeu ſanguineæ, quæ ex materno ſanguine primam ſui generationem acceperunt, & quæ ſolidas undique partes circumfundunt, & ſpatia inter fibras inania replent; quarum triplex notatur differentia: Prima appellatur caro ſimplex, quæ muſculorum villis adnaſcitur: Secunda viſcerum, quia peculiaris eorum ſubſtantia eſt, ut Cordis, Hepatis & Partes Similares & Diſſimilares.

Pulmonum, quæ vulgò Parenchyma dicitur : Tertia quæ propriè cujuſcumque partis, etiam ſolidæ, caro dicitur.

Similares partes novem numerari ſolent ; Os, Cartilago, Ligamentum, Membrana, Fibra, Caro, Nervus, Arteria, Vena.

Partes Diſſimilares, Partes autem Diſſimilares ſunt eæ, quæ ex prædictarum Similarium aliquot conflatæ ſunt ; quæ hâc ratione compoſitæ dici poſſunt ; vel quæ in partes diverſæ naturæ atque ſpeciei dividi poſſunt; ut Oculus, Muſculus. Has quidam appellant Organicas, quod earum perfectior ſit actio & evidentior quam Similarium : attamen quia Similares partes etiam figuram habent certam & magnitudinem, ideo poſſunt dici Organicæ, quanquam fatendum ſit perfectionem actionis deberi parti Organicæ, ut ejus principium parti Similari.

Diſſimilarium quatuor ordines. Statuuntur autem à Galeno Diſſimilarium quatuor ordines. Primus earum eſt quæ ex Similaribus dumtaxat componuntur; ut Muſculus, qui ex villis, membrana, tendine &

nervis conſtat: Secundus earum quæ ex primi ordinis partibus; ut Digitus, qui ex muſculis & aliis partibus conſtituitur: Tertius earum quæ ex ſecundis, ut Pes, Manus quæ ex digitis & aliis Partibus: Quartus earum, quæ ex tertiis, ut Brachium quod ex manu & aliis conſtat.

Præter has differentias in quovis Organo perfecto ac diſſimilari, quatuor Partium genera notantur. Primum eſt earum à quibus primario ēditur actio, ut in Oculo Humor Criſtallinus. Secundum, earum ſine quibus actio non fit, ut in oculo Nervus. Tertium, earum per quas fit meliùs actio, quæ proinde dicuntur adjuvantes, ut in oculo Tunicæ: Quartum, earum quæ actionem conſervant & partem tuentur, ut in oculis Palpebræ. Aliæ differentiæ.

Rurſum Partes dividuntur ratione officii in Communes & Privatas. Communes ſunt eæ quibus aliquod munus publicum creditum eſt: Privatæ quæ ſibi tantum natæ ſunt. Communium aliæ in Speciei, ut Vterus; aliæ in Individui uſum & Differentiæ ratione officii

gratiam operantur.

Tres corporis regiones. Cæterùm omnes humani corporis Partes ad tres publicas regiones revocatæ ſunt; primam, ſecundã & tertiam. Prima eſt à Gula ſeu Oeſophago ad mediũ Hepar exporrecta, ventriculum, inteſtina, meſenterium, lienem, & pancreas ambitu ſuo continens. Secunda, quæ à medio Iecore ad minores uſque venas extenditur, magnas venas & arterias, nempe eas quæ inter alas & inguina ſunt; ſuo termino involvens. Tertia, quæ à minoribus vaſis ad extimam uſque cutim excurrens, muſculos, membranas, oſſa, & totum corporis habitum comprehendit: quæ Diviſio ad praxim omnino neceſſaria eſt.

Multæ aliæ Partium ſunt differentiæ, quæ à Subſtantia, Figura & Situ petuntur. A ſubſtantia, aliæ denſæ & raræ, molles & duræ: A figura, cavæ, ſolidæ, rotundæ, latæ: A ſitu, dextræ, ſiniſtræ, anticæ, poſticæ, ſupernæ & infernæ.

Differentiæ ratio. Verùm nulla nobis potior eſt Partium Diviſio, quàm ea quæ ab earum

dignitate petitur; quâ Partes dividuntur in Nobiles ſeu principes, & Ignobiles ſeu miniſtras. Pars princeps dicitur quæ vel facultatem Toti, vel communem largitur materiam ; ex qua diſtinctione patet tres tantum in corpore Partes principes exiſtere quæ ſunt fulcra vitæ, ſeu columnæ tres, quæ vitam hominis fulciunt; Cor vitalis facultatis & ſpiritus ſedes, vitam per Arterias; Cerebrum animalis, ſenſum & motum per Nervos; Hepar naturalis facultatis & ſpiritus alimentum per venas toti corpori impartitur : adeout Cor neceſſitate, Cerebrum dignitate, Hepar exortu reliquas partes ſuperet. ne dignitatis.

Conceſſum igitur Hepati officium, eſt ſpiritum & ſanguinem naturalem conficere, eumque è Chylo depromere, quem ſenſim & ſine ſenſu è venis Meſaraicis prolectat, receptumque ad formæ & ruboris impreſſionem omni ex parte attingit, ut nulla cavitate indigens, per venas velut per tubos & canales ad omnium partium nutritionem diffundat. Nec tantum ſanguinis Hepar officina eſt;

ſed & venarum radicationis & diſpenſationis principium;radices quippe venarum Cavæ & Portæ variè implicatas in Hepate cernere licet, à quo alimentum debitum partes omnes deſumunt, ut à terra ſuum libant plantæ; ſic ut non tantùm miniſtri vices gerat illud excoquendo, ſed etiam communi quadam juſtitiâ ſingulis diſtribuat.

Hæc de Hepatis officio multis ſæculis confirmata ſententia, ab iis hodie convellitur, qui antiquam ſanguinis elaborandi legem per vim & nefas Hepati abrogare conati ſunt, quaſi vellent vivo Iecori ducere funus, illiuſque Epitaphia ſcribere poſteris, immemores beneficiorum hujus Principis, qui hucuſque totam Oeconomiam naturalem indeſinente neque unquam feriante officio, theſauri ſui munifica diſtributione ſuſtinuit.

Nova Chyli via

Qui talia deſtruendo ſua adſtruunt, Pecqueti ſunt ſectarii, qui venarum Lactearum in Anatomica Republica auctarium, inventum Aſellii admittunt; ſed præter illius ſuffragia, in-

cognita quædam Chyli diverticula ſcrutati ſunt, Lactearum ſororiantium rivulos, animadvertentes Chylum non ad Hepar devehere, non ad venas Portæ, non ad Cavam propè Emulgentes, ſed ab Inteſtinis ad receptaculum quoddam, quod ſub Meſenterii centro ſupra Lumborum vertebras ſitum, diſſeminatarum Lactearum in Meſenterio liquorem excipit, exceptumque viâ priſcis inviâ refundit per alias venas Lacteas, quæ, intra Thoracem abditæ; ad ramos uſque Subclavios continuo ductu propagantur, donec intra venæ Cavæ cardicem aſcendentem circa Iugulares externas, communi tùm demùm alveo, in Cordis voraginem eundem Chylum muricandum, & in alimentarem concoquendum ſubſtantiam præcipitent. Et ne quid refluenti ad ſupernas venas Chylo eſſet obſtaculo, varias obſervant intra Thoracem valvulas, Chylo concedentes ad Cavam tranſitum, refugium ad receptaculum prohibentes: imo inſignem produnt quandam Valvulam quam Nobilem appellant,

quæ venæ Cavæ inſidet, paulo infra dextrum Cordis ventriculum, cujus beneficio Chylus in ipſum devolvitur. Adeout Pecqueti aſſeclæ exiſtiment ſolam opinionem, non veritatem, hactenus Chylum è Meſenterio in Hepatis Parenchyma protruſiſſe, & ſanguinei artificii immeritam huic viſceri prærogativam tribuiſſe.

Igitur, inquies, nullum Meſenterio Chyli ad Hepar adſportandi officium conceſſum eſt, & Hepati excidium paratur, ſi nullus eò Chyloſæ ſubſtantiæ ſcatex perveniat, ſi nullam in ſanguinem purpuriſſat alimoniam, proindeque ſua poteſtate ſanguificandi ſpoliandum & ad vile miniſterium tanquam ignobile relegandum.

Verùm quia ſenſu, ratione & experientiâ conſtat, Chylum Meſenterii manu nullo modo ad Iecur devolvi, nullas venas præter Lacteas Chylo albeſcere, quem in receptaculum dictum devehunt, quod hactenus oculatam omnium Anatomicorum ſagacitatem videtur effugiſ-

ſe,

ſe, ideo ſicco pede prætermittendam hanc opinionem non eſſe duco: Nec tamen fruſtra à Natura fabricatum eſſe Hepar, licèt uſurpata hactenus ſanguificandi gloria ablata ſit, ſuo enim complexu & amico calore, Ventriculi actionem juvare, humores tranſcolare, heterogenea ſecernere, bilioſum humorem in ſubſtratam ſibi veſſiculam expuere, eundemque id Natura exigente in inteſtina gaudet deponere.

Statuitur igitur novitate hujus Dogmatis, Cor officina alimentarii ſanguinis, quia Lactei canales Thoracici Chylum deportantes, Cordi, non Hepati militant, licèt timendum ſit ne viſcus nobiliſſimum hujus Chyli crudi & incocti ſordida permixtione, ut & odore culinæ inquinetur: indignum quippe videtur Cor, Solem & Regem Microcoſmi, in animæ conclavi culinam exercere. Cor ſanguinis officina.

Abſurdum eſt, crede mihi, admittere Chylum ſordibus adulteratum, in Cordis Ventriculum dextrum derivari; ipſe enim dum per Inteſtinorum tunicas filtratur, non ſolùm

ſordes deponit, ſed etiam in bibula Pancreatis ſubſtantia, in qua miris anfractibus ac reticulis Lacteæ implicantur: cœnoſiorem quippe Chyli partem in ſe combibit, ut placenta quæ uteri impuritates abſorbet. Adde quòd in longis viarum mæandris, quaſi filtris, Chylus purior redditur, non ſecus quàm in longis contortiſque inſtrumentis Chymicis liquores & ſpiritus ſublimantur: Non vileſcit certe Cordis munus Chyli purioris acceſſione, nec dedecet Principis majeſtatem totam œconomiam corporis ſuſtinere, & vitam cum alimentis, ſubditis ſuis impertiri.

Sed ſi novitas tibi diſpliceat in Phyſicis, novam non debes cenſere illam, quâ cor hæmatoſeos officina adſtruitur ab Ariſtotele, ſententiam; imo veritas hæc antiquam renovat & quaſi funeratam ſuſcitat. Et certe ſi rem adamuſſim penſitare licet, & ad trutinam Medicam perpendere, quid majus in Medicina, ratione diverſis experimentis ſtabilita, excogitari poteſt? At quoties detectæ non

tantum à Pecqueto, ſed etiam à doctiſſimis Medicis Chyli per varia experimenta ſemitæ à Lacteis ad receptaculum? Quoties apertum Thoracicarum Lactearum cum Cava aſcendente, adhibito experimentorũ teſtimonio, commercium? Quod ſi relactari videtur hæc mênti Hippocratis opinio, qui rudiorem & impolitiorem ſanguinem in Hepate fieri, in corde elaboratum perfectumque reddi inſinuat; in eo tantum diſcrepat quòd & coctionem & elaborationem ſimul uni Cordi concedat, cui certè nihil ultra merita poteſt concedi, cum indefeſſus ſit motor, qui perenni motu vitam undequaque firmat & tuetur.

Nihil igitur flagitii habet hæc Opinio, quia nec jurat excidium Hepatis, nec ejus vivi regnantiſque ducit exequias; proindeque non debet nova condi curandi methodus; quia in duobus Cordis & Pulmonum viſceribus, Chyli & Sanguinis excrementa non colliguntur nec ſecernuntur; ſicque non receditur ab Hippocrate, Ariſtotele & Aretæo, qui totius cor-

poris ſanam & morbidam conſtitutionem Hepatis integritati vel vitio adſcripſerunt; cùm omnes fere ſordes alvinæ regionis ab uno Jecore male filtrante & ſecernente ſcaturiant.

Quid igitur ultra Dogmatis novitatem Pecquetianis objici poteſt, qui ex Naturæ inſpectione, non ex ſolis libris, cùm ſapere velint, Naturam ſilere in ſua cauſa non patientur? Imò videbitur jure merito exprobare nobis Natura injuſtam de ea arbitrandi conſuetudinem; ignaviam ſimul & negligentiam obtrudet, cum hæc æternæ ac incommutabili legi addicta, novam hiſce temporibus non ſit molita hominis ſtructuram, neque inſolitas partes fabricata, ut antiquas opiniones everteret, novaſque mentes inſpiraret. Veritas, Iatrophile, commune Mortalium bonum eſt, & univerſalis hæreditas, quam quiſque pro facultate debet ſibi conciliare, & adeptam pro viribus conſervare. Diſce igitur Naturæ ſapientiam in vaſis Lacteis, & in detectis ſemitis mirari, non

carpere; diſce illius leges in Partium fabrica ſcrutari, non temnere; Diſce Naturam ſequi, quæ ex mente Tertulliani voluntas Dei eſt, & ſilens mundi artifex, ut diſcas non Naturam rationi, ſed rationem tali Naturæ ſubjicere.

# MEDICINA ANIMI,

## SEU

## *COROLLARIUM QUARTUM: ad Corporis humani Partes.*

SIngularem totius Corporis œconomiam, ejuſque mirandam texturam, Chriſtiano ſi ſpectes oculo, Iatrophile, nulla eſt Pars è quâ virtutem aut Chriſtiana officia non ediſcas. Tanta quippe eſt ſympathia, tantus conſenſus, ut in his partibus imperium, in illis obſequium liceat obſervare; ſed tanta fidelitate, ut in totius commodum, emolumentumque conſpirent. Quod facilè deteges vel in iis externis Par-

tibus quæ cæca quadam conſuetudine prætermittuntur, nec enim magis abſtruſa Natura quàm in rebus quotidianis apparet; quia non magna, ut ait Seneca, ſed nova miramur; quia, ut ait Divus Auguſtinus, magna miracula aſſiduitate viluerunt. Manum hominis forſan non es demiratus, Iatrophile, quòd nulla ſit pars quæ magis externis pateat ſenſibus; nulla tamen eſt quæ majora corpori & animæ præſtet officia: Si Medicina Dei Manus eſt, certè hominis Manus, munus cœli poteſt legitimè vocitari; manus enim beneficio Medicina, artificioſâ quadam induſtriâ partis cujuſque temperamentum naturale & morboſum, æquale & inæquale nanſciſcitur, & ſecuriùs quàm Chiromantia, partium internarum ſubſtantiam & amplitudinem, ut Jecoris, ſuâ latitudine explicat. Hæc benefica Manus naſcenti infanti meliùs quàm Lucina Dea obſtetricatur, & plerumque carcerem ejus naturalem diſrumpit; alioquin ſibi matrique infans vitam eriperet; Secun-

dinam, infortunium illud parientis, Manus uſibus & experimentis oculata, ſine vaſorum laceratione, ſine ſternutamenti ſubſidio extrahit, funibus chordaque umbilicali vinctum infantem umbiliſeca expedit; Meconium pellit noxium, & toto vitæ curriculo unitas παρὰ λόγον partes dividit, diviſas ſtringit, ſuperflua eximit; imò præſtat ancillans illa Naturæ Manus, quæ ipſa Natura non poteſt præſtare, dum Hyperſarcoſim eximit & luxata membra reponit: unde nulla eſt pars quæ ejus vim non experiatur & ſubſidium. Si enim pars dolet, lingua quidem dolorem explicat, cor ſuſpirat, lachrymis loquuntur oculi, caput in pedes devolvitur ad auxilium, ſed fruſtra, niſi Manus Medica remedium adhibeat; niſi velut potentiſſimum Anodynum, dolorem, ſævum illum Naturæ tyrannum, demulceat: hæc enim debitam unicuique parti qualitatem impertitur, partes calefactas refrigerat, refrigeratas calefacit, humectatas exſiccat, & exſiccatas humectat.

Nec putes Manum minùs eſſe animæ quam corporis organum; illius quippe imaginem videtur Manus præ ſe ferre; nam Manus ubique eſt, in externis ſaltem partibus, ut anima eſt tota in toto & tota in qualibet parte; imò facultates omnes animæ belliſſimè exprimit; ingenii quippe inventa artificioſe adumbrat, voluntatis conſilia congruè exequitur, memoriæque theſauros ſcriptis vel exaratis litteris fideliſſimè conſervat. Hæc certè eſt Manus animæ Medica, quæ cæco oculum, claudo pedem, famelico panem, cuivis pauperi quodvis ſubſidium ſubminiſtrat. Quid plura? Manus contracta apud Theologos reprobationem minatur, extenſa ſalutem pollicetur: Unde non eam Manum memoro, quæ quondam Conditoris æmula, ſolem, ſtellas, planetas, æneo ſed mirabili artificio fabricata eſt; ſed quæ ſeſe extendendo ad inopem, omnem juſtitiam adimplet, & fœlici fœnore Deum ipſum beneficè demeretur.

Sed quæſo, Manum de tabula, ut in

in ipſos Oculos mentem reflectas, quos, velut lucis portas, in ſublimi corporis ſede conſtitutos debes attendere; ut te velut ὀυρανόσκοπον in cœlo debere verſari, non in cœno converſari cognoſcas. Licèt verò Oculi nitidiſſima ſint animæ ſpecula; in his tamen licet deprehendere mille ejuſdem diſcrimina; in his enim ἔρος ϗ ἔρις latent, ὁρᾶν ϗ ἐρᾶν idem ſunt, animique ſenſa produnt: Hinc cæſios Oculos cædis, pætos veneris & levitatis, rotundos & parvos vulpinæ fraudis indices rectè dixeris: Vnde niſi cum exploratoribus Oculis ineas fœdera, funera tot erunt & aperta mortis oſtia. Hac forſan ratione fœtus malorum ſuorum in materno carcere præſagus, Oculos manibus premit, ut in illos velut futuræ perditionis conſcios ulciſcatur. Nec ſolum tibi Oculi aperti debent eſſe, Iatrophile, ſed & Aures, velut intellectûs & fidei januæ; cum enim huic tantum patere debeant per interioris ſpiritus virtutem, ſinubus diſtinctas & variis mæandris intortas attendere debes,

ut ſæculi lenociniis obturatas exiſtimes.

Si verò Cerebrum obſerves ut facultatum aulam, quæ Senſuum triumphat ſatellitio, ex eius mirabili textura Numen inibi eſſe deprehendes quaſi nube denſa circumfuſum, quod legitimè venerationem tuam exigit. Verùm quia eô ſordet ſitu quo gloriatur, & Vaporum anadrome ſublimis illa arx Cerebri adeo concutitur, ut animam ſæpius hacce ratione ecclypſim pati diceres: hinc Humilitatem diſcere debes, quòd Homo ſuperbum illud animal eò magis deſipit & belluat, quòd tam concinnè elaboratum Cerebrum & in editiſſimo loco conſtitutum, ſpeculiari naturæ ſuæ beneficio obtineat.

Quòd ſi è Capitis cœlo, rationis ſede, & ſapientiæ domicilio, in elementarem ſeu infimam corporis regionem deſcendere fas eſt; obſerva Lienis ſervile ſolum, quod ſentina eſt & cloaca in quam totius tartareæ ſubſtantiæ detruditur illuvies: ſi tamen emunctionis limi Lien ſit immemor, ſuique muneris, multorum

morborum fœtura eſt in œconomia naturali, cujus princeps Iecur in lacunam paluſtrem abit, dum gratioſus illius humor, malefico hocce fermento conſpurcatur: Vt hinc diſcas, Iatrophile, Reges & Principes non poſſe niſi cum maximo diſpendio ſubditorum defraudari officio, nec eos debere ſpernere, ſine quorum opera, licet vili & abjecta, non poſſunt ſubſiſtere.

In Hepatis munere & functione habes ideam Charitatis & Munificentiæ; ſuis quippe ſumptibus liberaliſſimus hic Princeps totam œconomiam naturalem maximo cum ordine ſuſtinet: Sed cave nè ſentias in hac regia aula rationis tormentum, cum enim ſit ſedes concupiſcentiæ, ſeditiones ſæpiùs hæc movet, quarum motus mens ſedulo rationis auxilio debet compeſcere.

Si Ventriculi texturam obſerves, ex tribus tantum membranis concinnari, vixque pedis unius æquare latitudinem comperies, ut ſcias pauca debere expeti ut impleatur. Quod ſi modum non adhibeas, quia immen-

ſum opinio deſiderat, pauca ratio; vix poterunt quatuor mundi elementa adeo extenſa, tribus illis membranis contineri: quicquid enim avium volitat in aëre, quicquid piſcium natitat in fluctibus, noſtris ſepelitur ventribus; Et quid mirum eſt ſi quotidie morimur, quia tot mortuis vivimus?

Quod ſi cœleſtem illam corporis regionem perluſtres, Iatrophile, cui Cor velut ſol Microcoſmi, aut ſtella ſalutifera, præeſt ſingulas partes reficiens & conſervans, ſenties haud dubiè indefeſſi hujus Motoris malleum pulſatilem, qui motu ſuo vitam perennat; ut hanc non inertiæ, non ſocordiæ aut ſomnolentiæ, ſed labori, ſed actioni continue committas. Nec minùs percipies hujus Solis perpetuum influxum in caloris inſiti palingeneſim, ut tu Charitatis & Beneficentiæ in pauperum ſubſidium nunquam obliviſcaris. Cor parvum eſt (inquit Hugo) & magna cupit; vix ad unius milvi refectionem ſufficere poſſit, & totus mundus ei non ſufficit: Mundanis enim, ait Bernar-

*Lib. 3. de Animæ*;

dus, occupari poteſt; repleri non poteſt: Vnde altiùs quàm in terrenis debet veram fœlicitatem exquirere, cum mundo ipſo expleri non poſſint Cordis licet exigui deſideria; quod forſan triangularis ipſius figura docet; cùm enim anguſtus ſit, licet anguſtus Cordis triangulus, non poteſt circulari mundo impleri, ſed tantum divino illo Triangulo, ſeu Deo trino ſatiari. Cor quippe triangulari figurâ gaudens, ſacræ Triados verum eſt ſymbolum, ut hoc uno cœleſti deſiderio, Cor mentemque explere addiſcas. Sed quæſo, unde pyramidalis cordis figura inverſa? cur mucro infernam, baſis ſupernam partem inverſo ordine occupat? Num ut mucrone cordis, ſeu exiguâ parte terrena per tranſennam ſeu peregrinum in morem reſpicias, baſi vero, ſeu latiore parte, divinos influxus amplo ſinu admittas? Verùm timendum eſt, nè baſis amoris divini diſpendio, cujus Cor divinus focus eſt, terræ incurvetur, & affectus noſter mundanis affixus, delitias, voluptateſque mundi viâ lata excipiat.

Recorderis velim, Iatrophile, quòd te Medicina docet, ſolutionem continui Cor non pati; nec diviſionem Viſcus hoc nobiliſſimum poſſe ſuſtinere; nè Cordis interioris affectum ſic dividas, ut unam mundo partem, Deo alteram injuſtè concedas. Adulterium quippe Cordis eſt & Fornicatio deſideriorum, ſi à Deo avertaris ut ad terrena & ſordida depravato motu convertaris. Hinc Cor tuum indiviſibile velut hoſtiam ſic Deo offeras, ut poſſis cum Regio Pſalmiſta dicere: *Quid mihi eſt in cælo, aut à te quid volui ſuper terram, Deus Cordis mei?* Recorderis iterùm, Cor perpetuà Pericardii aquâ irrigari velut rore naturali, ut ejus æſtus in febrium ardoribus temperetur; imò calidiſſimum hoc Viſcus concreto ſevo ſeu adipe eſſe circumlitum, ut tu æſtuanti iræ modum ponere & motus domeſticos diſcas componere.

Sed tandem memineris, Iatrophile, Coronariam venam totam baſim cordis cingere & circumdare; ut ſcias in Cordis, è quo cogitationes

ſcaturiunt, actione legitima, poſitam eſſe vitæ Chriſtianæ coronam, triumphum & victoriam: Ut enim in eo omnis juſtitia adimpletur, ſic omnis corona perficitur, quæ nulli conceditur niſi qui *bonum certamen certavit, curſum conſummavit & de bono theſauro cordis, bonum protulit.* Memineris igitur, ſic te debere certare in vita, ſic curſum conficere, ut corde deficiente, vitæ coronam accipias; unctus enim es in Baptiſmo ut athleta Chriſti, luctare in ſæculo ut coroneris à Chriſto: hoc eſt præludium, hic eſt finis vitæ Chriſtianæ. Sic igitur agat indefeſſo ſuo motu Cor tuum, Iatrophile, ut Charitatis amore fervidum, ſolum pauperum ſubſidium, ſolum proximi commodum exquirat; Sic agat in praxi Medicinæ, ut cœlum ſolum anhelare, ſolum Deum ſpirare, ſperareque diſcat. Quid enim ultra quæris, Cor Chriſtianum? quid ultra tendis, cum ultra tendere non ſit tendere, ſed contendere, vel potius rumpendo ſe diſtendere?

*Ambroſ. lib. 1. de Sacram.*

# MEDICINÆ THEORETICÆ MEDVLLA.

*Phyſiologiæ pars quarta , quæ eſt de Spiritibus & Calido innato.*

VT Sanguinis maſſa eſt medium quid inter ſolidas partes & Spiritus, ſic Spiritus debet cenſeri medium quid inter humores & animam: unde quia ratione tenuitatis ſubſtantiæ , Spiritus animæ cum diſpari corpore conjungendæ, & fovendo calori videtur aptiſſimus, ſic omnium facultatum miniſter & vector exiſtimari debuit.

Dari igitur neceſſe eſt Spiritum, qui animam & corpus velut commune vinculum & inſtrumentum intercederet,quo illa ad hanc molem corporis agitandã uteretur; neque enim ſolet Natura extrema & oppoſita ſine medio jungere, quando operatio-

nes quædam obeundæ ſunt: quem eundem dari Spiritum ſatis inſinuant Palpitationes, Diaſtoles & Syſtoles, variæ Attractiones Expulſioneſque quæ fiunt in corpore, Motus & Agitationes humorum, qui naturali gravitate & pondere deberent conquieſcere; tum etiam multæ Paſſiones quæ corpus non minus quam hominis animum vi quadam & impetu excruciant? Unde Spiritus τὸ ὁρμῶν ſeu impetum faciens dicitur, quia ſingulas corporis partes cùm nulla ſit ipſi via invia, ſumma pernicitate permeat.

Spiritus inſitus & influens. Duplex autem à Galeno lib. 5. Simplic. Spiritus conſtituitur. Unus inſitus qui ex ſemine prodiit & ſolidis partibus ab ortu inſitus, à quibus in carnoſas diffunditur: ſed quia citius exolveretur & evaneſceret ille Spiritus, niſi alio adveniente reficeretur, ideò alius eſt Influens qui dimanat à principibus partibus, ut earum virtus hujus Spiritus miniſterio & vehiculo ad alias partes diffundatur. Hunc influentem Spiritum, ut facultatum principium, unicum ſta-

tuit Ariſtoteles, nempe Vitalem in unico cordis fonte genitum; qui tamen in Cerebro vim ſenſus & motus, in Hepate alendi & reficiendi partes virtutem conſequitur. *Cap. ultimo lib. 5. de Generat.*

Triplex Spiritus Influens. Attamen quia tres vulgo ſolent facultates admitti, totidem erunt Influentes Spiritus: Naturalis, qui à Iecore per venarum ductus facultatem naturalem in partes diſſitas devehit: Vitalis, qui vitam à corde per arteriarum tubos quoquoverſum influit: Animalis, qui ſenſum & motum à Cerebro influentem per nervorum propagines debitis partibus communicat. Quæ licèt doctrina ſoleat in Scolis admitti, multi tamen Spiritum Naturalem expungunt, quia in Hepate nulla cavitas eidem continendo dicata, quia nullus aër, qui proxima eſt Spiritus materia ad illud permeat, ut ad Cordis ventriculos per Pulmones, & ad Cerebri ſinus per Palatum & Nares: quia nulli ductus ſuppetunt; ſi enim venæ, cur non pulſant ut arteriæ? *Andetur Spiritus Naturalis.*

Verum tota Iecoris ſubſtantia ſpongioſa, quæ coloris rubri characterem

Chylo imprimit, cavitatis vicem gerit, ut tranſpiratio aëris per inſenſiles cutis poros materiam ſpiritui craſſo ſatis ſuggerit: nec ductus deficiunt ſi venæ Spiritum continent, quibus motum non influit, ut Vitalis arteriis, quia vel craſſior eſt, vel eius motum ſanguis remoratur.

Alios hîc afferre liceret, qui Spiritum quidem Naturalem, non minus quam ſanguinem, in venis contentum agnoſcunt, ſed ſuam debere, non Hepati, ſed Cordis ventriculo dextro originem aſſerunt. Hi ſunt qui, ut diximus in ſuperiori capite, Chylum per canales lacteos thoracicos ad Cor volunt confluere, dum Valvulæ nobilis miniſterio, in eius ventriculum dextrum muricandus devolvitur, ubi ſanguis naturalis, ex eoque Spiritus in eadem officina elaboratur & conficitur.

Spiritus Vitalis in ſiniſtro Cordis ventriculo generatur ex ſanguine naturali, qui per ſeptum medium filtratus in ſiniſtrum ventriculum commeans, ibi attenuatur, elaboratur, & vitalitatis ſigillo obſignatus per

Aortam in univerſum corpus devehitur; licèt multi Medici, iique doctiſſimi, hujus ſæculi, non ſine fundamento aliam viam ſanguinis & Spiritus Vitalis nacti ſint. Exiſtimant quippe confectum è Chylo ſanguinem in dextro Cordis ventriculo per venam Arterioſam in Pulmones ablegari, qui in ſiniſtrum Cordis ventriculum per Arteriam venoſam illiquitur; ubi in arterioſum ſanguinem & Spiritum Vitalem transformatur, qui deferentis Aortæ miniſterio in ſingulas partes deductus, per mutuas Anaſtomoſes vaſorum ab arteriis in venas ex ſe Sangui-ſorbas tranſvaſatur, ut aquarum inſtar, quæ marginibus contentæ aſcendunt uſquequò ſui ortus principium æquaverint, ſanguis ad Cor velut ad ſuum fontem circulatione recurrat. Nec putes circumfluum totius corporis ſanguinem, ſæpiùs intra horæ ſpatium circulandum in Cor remeare, in ſanis etenim corporibus intra diem ſemel, aut bis ſanguinis illius redit labor actus in orbem, qui in venæ Cavæ & Aortæ canalibus concluditur: li-

Nova opinio de Spiritu Vitali.

cèt fatendum ſit in magnis inediis, in largo ſanguinis profluvio, dum vires fatiſcunt, ſanguinem ad motûs Cordis conſervationem, ad caloris & Spirituum reſtaurationem, ter in die vel pluries poſſe circulari.

Spiritus vero Animalis è Vitali conſurgit, ſicut hic è Naturali, idque dum Vitalis Spiritus cum ſanguine arterioſo per Carotidas & Cervicales arterias, in ſuperiores defertur Cerebri ventriculos, ubi aëri per os & nares inſpirato permixtus, formam ſuam adipiſcitur: ſed priuſquàm eò perveniat, præparationem quandam ſubit in minutulis illis arterio'arum plexibus, quos Retis inſtar Natura ſedulò confecit, ut attenuatus ibi magis magiſque Spiritus, ſuum faciliùs characterem conſequatur. His autem in ventriculis reſidens, principibus functionibus obeundis inſervit, ſenſationes, cogitationeſque efficit, & in Medullam ſpinalem alioſque nervos ſeſe inſinuans, vim animalem, ſenſum motumque ſingulis partibus communicat.

Licèt verò tres hi Spiritus enumerati ex ſanguinis in aëream ſubſtantiam attenuatione ſcaturiant, diverſam tamen formam, in diverſis membris ad diverſos vſus adipiſcuntur: ſicut enim ſanguinem cum Chylo non debes confundere, ſic idem alimentum nova actione, novam formam, novamque denominationem ſortiri; debes admittere.

Ex præmiſſis patet maximam eſſe analogiam inter Spiritum inſitum, Calidum innatum & Humidum radicale, quia ex una & eadem ſubſtantia prodire videntur. Quòd ut magis pateat, obſervandum eſt congenitum ſeu primigenium Humorem, qui à noſtræ generationis principiis nobis ineſt, ſolidis tantum partibus inſidere, in quibus ut in ſemine, duplex Humoris ſpecies ſpectari poteſt. Unus eſt aqueus & viſcidus, quo veluti viſco terrena partium ſiccitas alioquin friabilis continetur: at is Caloris nativi ſedes & ſubjectum conveniens eſſe nequit, cum enim extingueret, cum ſit aqueus; ſed is etiam poſt mortem in ipſis Senum

De Calido innato & Humido radicali.

corporibus conſervatur, quo tamen conſumpto univerſum corpus in cineres diſſolvitur. Alter aërius & oleoſus, qui proprie congenitus, radicalis & primigenius humor, ſeu Humidum apellatur, in quo nempe Calor nativus, vita & anima quoque ipſa; tanquam in radice inſunt. Calor, inquam, mediante ſpiritu inſito cui primariò ineſt, humori ſecundariò: Uterque autem eſt à ſemine, adeout ex his tribus, Humore ſcilicet illo radicali, Spiritu inſito & Calore innato ſimul mixtis, unica exurgat ſubſtantia, quæ nunc Calidum innatum, nunc Humidum primigenium apellatur. Hinc Calidum innatum rectè definiri poteſt, Humidum pingue, in quo velut in proprio ſubjecto vita cum Calore & Spiritu, radices agit.

Verùm cùm tanta ſit inter Calorem natiuum & Humorem primigenium unio; quî fieri poteſt ut eum Calor innatus depaſcatur? nihil enim agit in ſeipſum & proprium caloris eſt calefacere potiùs quàm exſiccare, cum calor in aëre pacifice agat

cum

cūm humiditate. Sed non eſt admittendum, Calorem per ſe, ſeu propriâ actione in ſui ſubjecti perniciem agere, neque inſtar ignis ſuum pabulum abſumere; etenim Humidum radicale verè eſt caloris innati ſedes, & ſubjectum potiùs quàm pabulum: ea autem fit conſumptio & diſſipatio, quia quicquid actu calidum & humidum eſt, illud quoque per ſe & natura ſua vaporoſum eſt, quod in tepente liquore videre eſt: Cum autem tale ſit Calidum innatum, non mirum ſi quotidie ſpirituoſa ejus ſubſtantia & humida ſenſim evaneſcat & diſſipetur; id autem non niſi per accidens à calore natiuo contingit; Imo potius ab Influente, qui à Corde velut à fornace influens, licèt Inſito conſocialis, progreſſu temporis vires acquirens, per aëris æſtum, vigilias, cibos acres & animi pathemata, plus abſumit quam Nativus valeat reſarcire. Hinc Calor hic nativus ſenſim & ſine ſenſu deteritur proprio ſubjecto deſtitutus, unde qui calor fuit altor, genitor & Medicus, malo hoc commercio au-

thor ſit vitæ & necis; qui fuit ſoſpitalis, fit capitalis; qui hoſpes diu, fit hoſtis; ſic inducitur μοῖρα τῦ βιου, ſeu fatum vitæ.

Quamvis verò magna ſit inter Humidum radicale & Calidum innatum analogia, in eo tamen inter ſe diſtinguuntur, quod Calor innatus primũ ſit in functionibus ſuis obeundis inſtrumentum, cujus præſentiam vita, privationẽ mors neceſſario ſequitur: quæ tametſi Spiritui conveniant, Calori tamen competunt ut agenti primario & activo inſtrumento: Spiritui vero ut ſecundario & deferenti corporeo. Inſuper diſtinguuntur, quia ſeſe eâ conſequutione & ponunt & tollunt, ut extincto Calore, Spiritus manere poſſit; ut in iis quibus frigore corpus obrigeſcit; abſente autem Spiritu atque diſſipato, Calor quoque ſecedat neceſſario, manente Humore; ut contingit in Syncope: at Humore conſummato, ut in ſenectute & febre hectica, ſimul & Calorem & Spiritum interire neceſſe ſit.

An Calor nativus

An verò Calor noſter naturalis,

Elementaris ſit, vel cœleſtis, ambitur. Multi ſolum elementarem eſſe, nec calores in nobis ſine neceſſitate eſſe multiplicandos exiſtimant, cùm unus idemque calor elementaris varios effectus, licèt differentes, poſſit proferre: calor enim ſiccus denſat, humidus laxat, immoderatus corrumpit, temperatus conſervat: idem qui coquit, aſſat, aut elixat, mora diuturniore intenſiorem gradum nactus exurit, & diſſimiles in nobis effectus pro modo intenſionis aut remiſſionis promovet, quatenus naturæ noſtræ dirigentis ſubeſt imperio. Si enim in Pyrothecnia, arte Chimica & Culinaria per vim ignis regulati, mira obſervamus, Digeſtiones, Extractiones, Calcinationes, &c. quid oberit quin anima noſtra caloris elementaris ad certum gradum refracti beneficio, diverſas corporis noſtri actiones exerceat, cùm certum ſit accidentia pro more ſuorum ſubjectorum ſe habere? ſit cœleſtis vel elementaris.

Statuendum eſſe exiſtimo, Calorem illum quo vivimus & cujus miniſterio anima tam diſſimiles actio-

nes præſtat, videri conditionis nobilioris quàm ſint illæ qualitates, quæ ſimplicia corpora, aut mixta inanimata ſubingrediuntur; ſuam tamen ducere originem tum à cœleſtibus corporibus, quæ lumine ſuo orbem regunt & calorem in ſphæra hac elementari excitant, tum ab elementis, ut Aëre, Aqua, mixtis corpus noſtrum conſtituentibus: Attamen ut Calor ſit vitalis, non habere ab horum alterutro, ſed ab anima duntaxat, cujus cùm ſit inſtrumentum, multos ſupra elementorum conditionem effectus profert. Quòd ſi divinum & cœleſtem vocat hunc aliquando Ariſtoteles, talis dicitur, non quòd ſit à cœlo, ſed quòd ſit benignus & cœleſti quodammodo analogus.

*Cap. 30. lib. 2. de Generat.*

# MEDICINA ANIMI,

## SEV

## *COROLLARIVM QVINTVM;* *Ad Spiritus.*

QUis crederet, Iatrophile, in maſſa corporis quod animæ pondus eſt, Spiritum tenuiſſimum diliteſcere? Quis crederet in illa impuritatum ſaburra, in humorum ſterquilinio, æthereum Spiritum ſcaturire, qui omnium corporis functionum author legitimè poteſt appellari? Ille enim eſt Spiritus qui ſuperna infernis, cœleſtia terreſtribus, ſubſtantiam ſpiritalem corporeæ ſubſtantiæ, animam divinam & immortalem materiæ corporis denſiſſimæ fideliſſimè copulat. Ille eſt omnium facultatum animæ ſecuriſſimus vector, qui illarum virtutem in minutiſſimas totius corporis partes neceſſario diffundit commercio, hoc eſt ponderoſa & craſſa humorum

corpora contra ſuam ſphæram attollit, & gravia ſurſum, levia deorſum pellit in totius œconomiæ naturalis emolumentum: imò Spiritus hic, vivifici nectaris inſtar, partibus omnibus alimentum, vitam, motum & ſenſum perpetuo commeatu ſubminiſtrat.

Verùm, Iatrophile, tu qui altiora perſcrutaris; non debes huic exterioris hominis Spiritui ſic inhærere, ut ulteriùs non progrediaris: quamvis enim Spiritus hic apud Galenum ſit tantum tenuis quædam ſanguinis benigni exhalatio, corporis tamen & animæ perfectum vinculum eſt; licèt anima non minùs diverſa ſit à corpore quàm cœlum empyreum à terra: & hâc ratione Spiritus hic belliſſime hominis interioris Spiritum divinum adumbrat, qui habitat in cordibus noſtris: hoc enim benefico Spiritu quiſquis agitur, hic divinæ conſors naturæ, terreſtrem exuit, & homo de humo, totus cœleſtis, imo divinâ hâc copulâ Deus efficitur; *Qui* enim *adhæret Deo, unus Spiritus eſt; ipſe* quippe *Spiritus* (ut ait Apoſto-

*6. de uſu partium.*

Romanor. 8.

lus) *teſtimonium reddit Spiritui noſtro quòd ſumus filii Dei.* Nec tantum hominem Deo ſimilem efficit, verùm etiam, ut eſt divinæ Gratiæ comes individuus, perpetuo hujus facultatis nos recreat influxu. Sicut enim in corporeis, Spiritus eſt inſtrumentum facultatis; ſic in ſpiritualibus, divinus hic Spiritus vicarius eſt Redemptoris: hujus etenim divini Spiritus miniſterio, *de tenebroſo fis lucidus, de pravo rectus, de languido ſanus, de imprudente providus.* Quid plura? ſi Spiritus corporeus, modò purus ſit, corpori ſanitatem, motum, ſenſum vitamque conciliat; Spiritus hic divinus eandem facultatem animæ concedit, per hunc enim *Vivimus, movemur, & ſumus.* Unde Auguſtinus: *Quomodo poteſt vivere is qui non fuerit Spiritu vivificatus? quomodo juſtè & ſanctè vivere, qui non fuerit juſtificatus & ſanctificatus?*

August. lib. de Eccleſ. dogm.

Lib. 1. ad Simplicium.

Sed vereor, Iatrophile, ne obliviſcaris, Spiritus corporis æthereos & lucidos ſæpiùs craſſo denſoque vapore obtenebrari, humorumque fœtidorum conſpurcari conſortio, è

quâ mala fœturâ lypothymiæ, vertigines, torpores & convulſiones ſcaturiunt; ut hinc diſcas, te numquam debere in vita interiori, alterius Spiritus præter quam divini dominium admittere; *Caro* enim *non prodeſt quidquam, Spiritus eſt qui vivificat.* Quid, quæſo, poteſt Spiritus carnis & ſanguinis conferre, niſi ignaviam & torporem, invidiæ faces, amoris impuri æſtum & functionum animæ depravationem omnimodam? Hæ quippe ſunt Paſſiones quæ tali Spiritui ſuam debent originem: Ut enim *qui ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam*, ſic *qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem*: Ut hic carnis Spiritus nos atterit, ille nos extollit; ut hic nos ſauciat; ille nos ſanat; & ſi hic nos reddidit falſo quodam lumine prævaricatores, ille novæ lucis ſplendore, novæ legis nos efficit dilectores.

Galat. cap. 6.

*Mundemus* igitur *nos chariſſimi* (ut cum Apoſtolo loquar) *ab inquinamento carnis & ſpiritus, & ſerviamus in novitate Spiritus, & non in vetuſtate litteræ: nos enim ſumus circumciſio qui ſpiritu*

Cor. 2. cap. 5.

Roman. cap. 7.

*ſpiritu ſervimus Deo. Spiritu ambulate* ( inquit idem Apoſtolus ) *& deſideria carnis non perficietis.* Ille quippe Spiritus impuram voluptatem, ejuſque illecebras abigit, quam ſic viciſſe voluptas eſt maxima, *In hoc enim Spiritu* ( inquit D. Bernardus ) *perit delectatio carnis, ſed manet delectatio mentis.* Philip. 3. Galat. cap. 5.

Tu verò, Iatrophile, qui affectus diſſimiles in Medicinæ praxi à ſimilibus noviſti diſtinguere, quia ſimilitudo multis impoſuit: Interroga viſcera tua, quo Spiritu reguntur: *Agis* quippe *& ageris*, ait Auguſtinus, & tunc bene agis ſi à bono ſpiritu agaris: bene ageris ſi plena ſunt charitate viſcera, quia *charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*: hoc ſi vivis Spiritu, *ſollicitus* eris *ſervare unitatem ſpiritus*, nec invidiæ ſtimulos, quæ ſolet eſſe inter Medicos maxima, unquam patieris. Hoc Spiritu ſi ambulas, mente, conſilio, manibus, egenis, ægrotantibuſque proderis, nec umquam ab illorum diſcedes miſeriis, niſi vel alimento debito, vel convenienti re- Sermone de verbis Domini.

medio demulceas. Hoc Spiritu, laboris mercedem à ſolius Dei munificentia, ab ægro egeno, vel ſterilitatem, vel plerumque injuriam, ne ſpes te decipiat, præſtolaberis. Hoc ſi duceris Spiritu, poteris cum Apoſtolo dicere, *Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.* (2. Cor. cap. 7.) Hoc Spiritu ſi regeris, ſcientia tua non erit conſcia ſuperbiæ aut vanitatis, ſed erit comes ſinceræ veritatis: *Doctrina hujus Spiritus* (inquit D. Bernardus) *curioſitatem non acuit, ſed charitatem accendit: præbet hæc ſimul ſcientiæ guſtum, & gratiæ condimentum, & agnitionis lucem & devotionis pinguedinem, per quam qui veritatem intelligit, & diligit.*

Licèt autem Spiritus hic in divinis, ignis dicatur ob ſterilitatem, in humanis tamen ignis ob fœcunditatem, & in utroque talis ob unitatem appellatur; ſcientiam quippe & lucem largiter exhibet, quæ ſpiritum Deo fœliciter copulat; ut diſcas, Iatrophile, quod is ſpiritus qui nobis donum fuit, amor & vinculum in terra, conſummatio & perfectio nobis erit in patria.

# MEDICINÆ
## THEORETICÆ MEDVLLA.

*Phyſiologiæ Pars Quinta, Quæ eſt de Facultatibus & Functionibus.*

SI in corporis tantum meditatione verſaretur Medulla hæc noſtra Phyſiologica, jam habemus ex recenſitis quod terreno corpori finitimum Natura nobis ingenuit: ſed quia hominem hic meditatur, in penitiorem, ſecretiorem & magis obſtruſam ejus partem, quô licet modo, debemus ſtudio noſtro penetrare: neque enim homo corpore tantum, ſed & anima conſtat, cujus involutam & obſcuram cognitionem tentamus per Facultatum potentiam, ſeu potius per Functionum virtutem, percipere.

Inter Facultates autem quædam dici poſſunt Propriæ, quæ nullis *Facultarum differentiæ.*

ſenſibus obviæ, imo inviæ ſunt; quæque nullum habent cum Natura commercium, ut facultas intelligendi: aliæ partim ab anima pendent, partim à corpore, ut ſenſus & motus: quæ licet ad animam referantur tanquam ad cauſam principem, caloris tamen & temperiei miniſterio perficiuntur. Unde quidam, ut Fuſchius, non dubitarunt Facultatem definire, Nativam cujuſque rei temperiem.

Verùm quantum à vero diſtet hæc opinio, in eo videre licet, quòd Facultates de quibus agimus, ad animam potiſſimùm, non ad corpus referuntur: quomodo ergo dici poterit Facultas, temperies in anima, quæ ſimplex eſt & immaterialis? aut quis legitime poſſet aliquam facultatem frigidam aut calidam appellare?

Quid ſit facultas. Facultas igitur vis quædam eſt, per quam forma proprias actiones exercet: ſeu ex mente Galeni, Cauſa à qua procedit actio: Actio verò, ſeu Functio, eſt rei efficientis motus, unde tanta eſt inter Facultates

& Functiones cognatio, ut Facultas ſine Functionibus, hæ ſine illa non poſſint intelligi: In eo verò Actio ab Uſu diſtinguitur, quòd illa in motu, hic in otio partis poſitus ſit, cum in demortuis etiam aliquando remaneat: oſſa quippe in cadavere carnem fulciunt, cutis in eo totum corpus tegit: quamvis Galenus Uſum & Actionem non accuratè ſemper diſtinguat. *Lib. de uſu partium.*

Triplicem autem debemus agnoſcere animæ Potentiam ſeu Facultatem: Naturalem, Vitalem & Animalem; quibus tota œconomia humani corporis regitur & conſtituitur. Naturalis Facultas ea eſt, quæ in Hepate conſtituta omnibus partibus per venas conveniens alimentum ſubminiſtrat: Vitalis, quæ Cordi inſidens ſingulis partibus calorem vivificum cum tenuiore ſanguine & ſpiritu per arterias impertitur: Animalis, quæ in Cerebro tanquam in arce reſidens, principem, ſenſificam & motricem Facultatem conſtituit, & motum ſenſumque per nervos omnibus partibus commu-

nicat. Licèt verò quidam quatuor eſſe Facultates ex eô contendant, quod Galenus partibus principibus Teſtes adnumeret, eos tamen non ad vitæ Individui neceſſitatem, ſed ad Speciei conſervationem neceſſarios par eſt admittere. Illic igitur debet Facultas inſidere ubi Functiones præſertim eluceſcunt, & unde Potentiæ effluunt per totum corpus diffundendæ.

*Cap. 9. artis medicæ.*

Naturalis facultatis differentiæ.

Naturalis Facultas quæ cæterarum baſis & fundamentum eſt, quæque tempore non minùs quàm uſu illas præcedit, debuit primum ſibi locum vindicare: Hujus autem tres ſunt ſtabiliendæ differentiæ, pro triplici ejus officio; Procreatrix ſcilicet, Auctrix & Altrix: cùm enim primum Speciei propagandæ Natura ſtudeat, quod eſt genitum ejus beneficio, debet conſervari; quod nequit niſi augeatur, nec augeri niſi nutriatur.

Procreatrix.

Procreatrix, quatenus ad hominem ſpectat, novam producit & effingit ſubſtantiam in utero ex ſeminis utriuſque parentis & menſtrui

ſanguinis influxu, quo Facultatis beneficio, res ſingulæ ſobolis, ſubrogatione, ortuque vicario, ipſius æternitatis fiunt participes. Hujus autem Facultatis actio, Generatio eſt, quæ propriè novæ ſubſtantiæ eſt productio; & ideo formæ motus eſt, ut nutritio materiæ, & accretio quantitatis.

Quoniam verò Generatio non eſt ſimplex actio, ſed ex alteratione & formatione compoſita, una ἀλλοιωτικὴ, ſeu immutatrix; altera διαπλαστικὴ, ſeu conformatrix: Illa qualitatibus elementaribus utens, ſemen & ſanguinem menſtruum velut proprium ſubjectum afficit & immutat in qualitatibus, mixtioneque convenienti; ex quâ debet exurgere temperies ſingulis corporis partibus debita: hæc verò Conformatrix, quæ ex mente Avicennæ non ſponte ſua, ſed præcepto ſui agit Creatoris, mutatam hanc materiam vi & proprietate formæ, artificioſè effingit, ut convenientem figuram, ſitum, connexum & cætera ejuſmodi diſponat ad totius corporis & cujuſlibet par-

Facultas immutatrix & conformatrix.

*Cap. ultimo de format. Fœtus.* tis idoneam conſtitutionem. Quam Facultatem tanquam rem divinam Galenus miratur; ſed quænam ea ſit ſe ignorare fatetur. Et alibi, opificem fœtus cauſam, ſapientiſſimam & potentiſſimam eſſe agnoſcit; quod de prima conformationis cauſa debet intelligi: etenim proxima nulla alia eſſe poteſt, quàm ſemen particulari vivens animâ (ut dictum eſt cum de ſemine) quâ partes efformat caloris & qualitatum primarum beneficio, ſibique ut artifex domicilium architectatur: dum verò ſuis numeris abſolutus eſt Fœtus, ceſſat quidem vis conformatrix, utpote materia & inſtrumento deſtituta, ſed non aboletur, quia ſuâ neſcit defraudari potentia hæc Facultas, dum una perſiſtit Facultatum ſubſtantia.

Nec dicas hoc pacto ſpermaticas partes regenerari poſſe hac ſubſiſtente Facultate, cum non deſit materia quâ hæ partes nutriuntur; nec enim quæ reponitur materia ſemen eſt, nec ejuſdem conditionis cum eo è quo primum partes fuerunt concinnatæ.

Natura igitur φιλάνθρωπος nobile illud opus orditur per Conceptionem, dum Mas in alio, Fœmina in ſeipſa generans, profundunt ſemen fœcundum, ſpirituum energia turgidum, in uterum, qui non tantum partium ſuarum ſymmetria, ſed etiam laudabili temperie gaudere debet: ſi enim frigidus ſit, ſemen extinguit; ſi calidus, abſorbet; ſi nimiâ humiditate luxurians, obruit; ſi ſiccior, alimenti defectu corrumpit: imo verendum ne Menſium immodico profluvio ſemen ſuffocetur; unde meliùs eodem deſinente, è Naturæ voto perficitur: quamvis etiam fieri poſſit, ex mente Ariſtotelis, in iis mulieribus quæ nunquam menſtrua paſſæ, initus tamen ſatis retinent ſanguinis, quantum iis reſtare ſolet quæ purgantur: admiſſum verò ſemen eſſet inutile, ſi uterus contractus ac velut obſignatus calore ſuo illud non foveret, vique inſita è potentia in actum non educeret: quo utero exactè poſt Conceptionem clauſo, ſi eodem dehiſcente ſemen denuò admittitur, ſuperfœtatio, ſeu Conceptio,

*Lib. de ſuper ſœt.* ἐπικυήσις quæ ſecunda Conceptio eſt, ex mente Hippocratis perficitur.

*Monſtrorum generatio* In Conceptione autem Monſtra quandoque contingunt, quæ extra ſpeciem poſita, alterius rei potius quam Individui humani formam repræſentant. Hinc quædam mulieres ſerpentem, aliæ portentum canino vel equino capite & ſimilia peperiſſe dicuntur, quæ vel à ſeminis corruptela, imaginationis vi, vel ab impuro belluarum concubitu contingere ipſa atteſtante experientia Medici arbitrantur; ut de Satyris, Hippocentauris & ſimilibus narratur. Reſpectu vero quantitatis exuperantis aut deficientis aliquando Monſtra ſuſcitantur, quæ non contra, ſed præter Naturam dicuntur; ut contingit in Monſtro quod viſum eſt prope Montargium, anno 1649. in cujus corporis textura excedentis deficientiſque ſeminis ſigna obſervare licuit. Bina quippe puellarum capita cum thorace duplici, proindeque bino Corde, ejuſque flabello geminato, in Abdomen unicum, amplum quidem, ſed non indecens

deſinebant ; cujus Abdominis mediæ parti unicus adnectebatur umbilicus, in quo tamen geminata vaſa umbilicalia erant conſpicua. Secto poſt mortem Abdomine, octo tantum illius muſculi præter pyramidales reperti, unumque Peritonæum, ſed partes omnes contentæ duplices, ſi Diaphragma exceperis, ut & Hepat quod unicum erat, & medium inter ipſa viſcera diverſabatur, adeout dubium relictum fuerit à quânam anima duarum puellarum, Hepar illud ſingulare in media Abdominis cavitate conſtitutum regeretur.

Vis igitur formatrix in ipſo ſemine deliteſcens, ſeſe ſtatim prodit dum admittitur ſemen in utero, caloris ſcilicet & ſpiritus miniſterio, quorum præſertim vis elucet, partim heterogeneas illius partes ſecernendo & cogendo ſimiles, partim diſtentam materiam partibus accommodatam effingendo: cui divino operi Galenus quatuor dicavit tempora. Primum, genituram, ſeu γονὴν apellavit, quæ propriè bulla

Hominis formatio

*Cap. 9. lib. 1. de Semine.*

eſt ſpumeſcens, ſeu ſemen coagulatum & cruſta obductum. Secundum, tempus eſt quo prima hominis apparet tela fibris tenuibus & principum partium rudimentis ſignata, & κύημα apellatur. Tertium, quo trium illorum principiorum delineatio evidentior, cæterarum partium obſcurior percipitur; unde ἔμβρυον. Quartum verò παιδίον, dum ſuis infans abſolutus eſt partibus, nullamque in eo deſiderare licet.

Membranæ Fœtū involventes.

Membranæ igitur, primæ illius opificii partes ex, utroque ſemine, ſed fœmineo præſertim utpote frigidiore, primo tempore effinguntur; tùm ut nobilior ſeminis pars & tenuior ſpiritus obvalletur, tum ut futurus Fœtus iis involucris veluti duplici muro cinctus includatur: quarum Membranarum diverſa eſt ratio in homine & brutis; in his enim tres ſunt, χορίον, ἄμνιος καὶ ἀλλαντοειδής; in illo autem tantum duæ, χόριον & ἄμνιος ſeu agnina. Chorion inſtar coronæ totum Fœtum ambit, quæ in homine

cotyledonibus; non ſtipatur ut in brutis; nec enim mulier brutorum inſtar, diverſa prole ſoboleſcit; ſed placenta ſeu maſſa quædam carnea diverſis venis & arteriis contexta, vaſa fulcit, & Hepatis æmula ſanguinem præparat & coquit. Secunda Membrana ἄμνειος dicta, Fœtum immediate involvit, quæ urinæ per ourachum tranſmiſſæ, & ſudoris ſeu ſecreti ſeri receptaculum eſt: Ex quibus duabus Membranis Secundina conſtituitur, quibus aliquando ex ſuperabundanti excremento tertia tunica innaſcitur inſtar galeæ, quæ capiti toti ad umbilicum obvoluta, Neophyto vitam eriperet niſi obſtetricante manu adimeretur.

His ita conſtitutis, partes Spermaticæ quarum apparuere prima ſtamina, ſimul & ſemel debent efformari: cum enim in prima delineatione Fœtus, Iecoris, Cerebri, Cordiſque influxu non indigeat, nulla adſtruenda eſt neceſſitas quâ una pars prius alterâ debeat effingi; etenim ex mente Hippocratis, de-

Spermaticarum partium delineatio.

*Lib. 1. de diæta.*

lineantur omnes partes ſimul & augentur; nec prius aliæ, nec aliæ poſterius; quod de partibus ſpermaticis & ſolidis debet neceſſario intelligi, quarum diſcretio deſcriptioque abſoluta eodem Hippocrate teſte in Maribus trigeſimo, in Fœminis quadrageſimo aut quadrageſimo ſecundo die perficitur, quô Fœtus auricularis digiti æquat longitudinem; quanquā legitimè agnoſcamus partium ſpermaticarum nobiliores partes omnium primas, ignobiliores omnium poſtremas abſolvi, quo tempore fit altera conformatio, partium ſcilicet carnoſarum, ſeu parenchymatum & carnis muſculoſæ.

*Lib. de natura pueri.*

Similitudo natorum cum parentibus.

Ex his elicere licet cauſam ſimilitudinis natorum cum parentibus, quæ vel à Facultate formatrice dependet, quæ vim ſemini inſitam ſpirituum oberrantium, ideaſque partium deferentium beneficio, Fœtui imprimit: vel ab imaginatrice matris facultate, quæ cereò fœtui talem ſpeciem inſculpit & characterem.

Firmatis partibus Mas tertio, Fœmina quarto menſe movetur; idque

motu ſpontaneo, muſculorum ſeſe contrahentium ope. Mares quidem celerius formantur & moventur Fœminis, ratione vividioriis caloris quo pollent; licet Fœmina frigidior celerius ab enixu augeatur, quia mollius corpus in trinam dimenſionem faciliùs diſtenditur. Sed tandem confecto ſic opere, Anima rationalis, divina, immaterialis, æterna, recens creata cœlitus in Fœtum infunditur: quâ præſente cæterarum Facultatum principatus obſcuratur, & vegetantis, ſentientiſque concidit imperium, ut totum teneat; licet nobiles ſuas functiones non poſſit ſuperfluo ſopita humido ad aliquod tempus expromere:

Animæ rationalis infuſio.

Fœtus igitur ſic completus aquis uterinis fluitans ut minus graviter, & quaſi undoſo innatans ſubſterniculo, manus habet ad genua, utroque pollice oculos premens, quaſi futura mortis oſtia; ſicque conglobatus, coarctatuſque caput habet pedibus proximum, facultates quaſdam naturales exercens, cæteris otioſis; feriatur quippe ventriculus,

Situs Fœtûs in utero.

quia nullum Chylum promit, nec enim alimentum ore ſumit, alioquin circumfuſus aquis cum alimento urinam ſuam remetiretur: cum etiam naſcenti infanti os Meconio obductum percipiatur. Nec etiam neceſſe eſt ore alimentum in utero materno aſſumi, ſanguis quippe è vaſis maternis in Hepar Fœtus, per venam Umbilicalem refunditur, & in hoc rivulo qui fontis rationem habet in enixis, magis magiſque elaboratur, in quo tamen ſeri & urinæ ſecretio ejus ope perficitur.

Veritatem nullam Fœtus actionem edit materno clauſus carcere, quod prima frontè abſurdum videri poteſt; ſed quia vitalis facultas cordis actione ad ſpiritus vitalis generationem circumſcribitur, ideo nulla poteſt Fœtui aſſignari, nec enim thoracem contrahit, diſtenditque, quod nullum aërem propter ambientia vel ducat, vel ducere poſſit. Nec etiam ſpiritus vitales cor Fœtûs generat, ſed maternos haurit per umbilicales arterias, quarum pulſatione ſingularum partium calor fovetur

&

& reficitur; & ſic in alieno ſolo vivens, alieno ſole ſeu materno corde, ſuorum pulmonum cordiſque motu non indiget. Licèt autem vitales nullos ſpiritus generet, animales tamen profert, nec maternos ſubſtituit, quia nulla ſymphiſis nervorum Fœtus obſervatur cum nervis matris, ut venarum & arteriarum, ideoque vi propria cerebrum ſpiritus animales, ſenſus motuſque authores promit; quamvis nullus aër ore naribuſque hauſtus ad eorum generationem conferat, ſed tantum tranſpiratione per arterias umbilicales ſubminiſtretur. Facultatum item principum miniſterio non indiget, ſed præter motricem, ſentientem admittit, ſomno quippe vacat & vigiliis, quæ debent in Fœtu ſomnum præcedere, qui ſenſuum quies dicitur.

Laſſatus igitur uterus ſuo pondere, excrementorumque copia turgidus, Fœtum ſua vi nititur excludere, qui grandior factus ex ejus latebris prodire affectat; ſive quia alimentum ſolitum non ſufficit, ſive quia Partus:

aëre per arterias matris ſatis refrigerari, foverique neſcit. Sed quia homo levitatis ſimulachrum eſt, incerto ſole, ſeu incerto tempore, cæteris animalibus ſtatuto, enormis naſcitur, modo ſeptimo, modo decimo, ſed potius nono menſe. Et certè partus nonimeſtris, ut frequentior, ſic omnium eſt fœliciſſimus: Septimeſtris Fœtus vitalis eſt, licet aliter ſentiat Ariſtoteles: Decimus menſis ſummus eſt pariendi terminus ab Hippocrate conſtitutus, ad quem partus producitur ratione materiæ quam commodam facultas formatrix alioquin imbecilla non nanſciſcitur; vltra hunc menſem mortis natum ad legitimam hæreditatem Iuriſconſulti Medicorum conſilio nullum admittunt. Cur verò octimeſtris partus non æque vitalis ac ſeptimeſtris cenſeatur, ratio petenda eſt ex Hippocrate, qui imbecillum iam Fœtum ex eo conatu quem paſſus eſt menſe ſeptimo ſupponens, eundem repetitum octauo non poſſe ſuſtinere exiſtimat. Cæterum Fœtus calcitrando naturalem carcerem diſrum-

*Lib. de natura pueri.*

pit, & in caput, ſi partus naturalis eſt, volvitur; ſi infauſtus, obliquatur vel in pedes ducitur.

Fœtu in lucem edito ceſſat Procreatrix Facultas ut Auctrici & Nutrici locum cedat; gignitur quippe quod nondum eſt, augetur quod forma præditum eſt. Nutrix toto vitæ curriculo perſeverat, Auctrix ad vigorem tantùm ætatis dominatur, & ejus ope Accretio fit, quæ partium ſolidarum in tres dimenſiones extenſio eſt; & ad ſuum munus calido vigente & humido ſequaci utitur; nec aboletur hæc facultas, quæ in Senio etiam augendæ carni præficitur, ſed materiæ ſiccitate & renixu ſiſtitur. Auctrix facultas.

Viventis corporis ſubſtantiæ quæ continuò exhauritur, beneficio Facultatis Nutricis reparatur, quæ aſſumptum alimentum conveniens & analogum in corporis ſubſtantiam convertit, eique aſſimilat. Nec ideo putes ſempiternum fore animal, quæ enim reponitur ſubſtantia deterioris conditionis eſt, & ſiquidem ſimilis in ſpecie, in gradu ſubſtantiæ non Nutrix facultas.

reſtituitur : unde Nutritio quæ hujus facultatis actio eſt, recte poteſt dici, ſubſtantiæ defluentis expletio; in hoc à generatione diſtans, quod generatione nova forma acquiritur, non nutritione pars nova generatur, licèt aliquo modo generatio nutritio ſit, quâ talis ſubſtantia gignitur, qualis eſt ea quæ nutritur.

Historia miranda.

Licèt autem Facultas Nutrix nunquam otioſa ferietur, quid tamen abſimile anno 1612. viſum eſt prope Senonas, ubi adoleſcens annos natus decem in tantam inappetentiam incidit, ut quatuor annos cum menſibus undecim ſine cibo & potu ſanus vitam traduxerit. Medici ſpectatores tanti prodigii, illud ad humidum viſcidum & craſſum, calidum nativum imbecillum, cutemque adſtrictam retulerunt, ſed apertum cadaver ( in quo arteriæ ſanguine vitali exhauſtæ, venæ naturali turgidæ, ſi Meſaraicas exceperis ) aliam cauſam protulit, materiam ſcilicet melli ſimilem, quæ balſami inſtar in cavitatibus cordis, thoracis, ventriculi, inteſtinorum & væſicæ deliteſ-

cens, idoneum calori nativo pabulum ſuppeditavit.

Cæterùm auxiliares quatuor Facultates, Nutrix obtinuit; Attractricem, Retentricem, Coctricem, & Expultricem. Attractricis ope non tantum alimentum ad cujuſque partis nutritionem electivè allicitur, ſed etiam quivis ſuccus ad voluptatem, ut ſerum à renibus. Tractionis autem duo ſunt genera; quorum unum fuga vacui, alterum qualitatis vel ſubſtantiæ præſtatur convenientia. Aſſimilandum debet retineri alimentum, quia coctio quæ eſt alteratio alimenti in aliti qualitatem, non poteſt peragi niſi illud retineatur. Coctio autem triplex ſtatuenda; una alimentorum quæ Nutritio dicitur, altera humorum quæ naturæ victoria eſt, tertia excrementorum vacuandorum quæ ſi craſſa, attenuantur; ſi viſcida, inciduntur. Facultates nutrici ancillantes.

Quia vero quod ſuperfluum eſt in parte, copia vel qualitate infenſum, debet abjici, inde vis quædam ipſis organis inſita, qua illud foris pellitur; unde Expultrix, quæ non tan-

tum noxia ſed & utilia amandat è partibus, ut ſanguinem ab hepate jam ſatiato, & lac catulliens è tumidis mammis. Illæ autem prædictæ Qualitates in Communes & Proprias dividuntur, quarum illæ duobus utuntur inſtrumentorum generibus ad ſuas functiones obeundas, ſcilicet primis qualitatibus & villis, quibus rectis Attractrix utitur, obliquis Retentrix, tranſverſis Expultrix, nullis verò Concoctrix; ſolo quippe calore velut motûs expers indiget: Propriæ verò ſola gaudent temperie ſine villorum miniſterio ut munus ſuum peragant.

*Vitalis facultas.* Quia verò calor ſingulis partibus inſitus ſine alterius caloris acceſſione diu nequit ſubſiſtere, Vitalis inde facultatis eſt neceſſitas, ut in corde reſidens calorem cum ſpiritu vitali per arterias partibus univerſis continuo influat, inſitum calorem inſtauret & ad agendum promoveat: Licèt *Cap. 2. de diſſect. vocalium inſtrum.* verò Galenus Vitalem Facultatem ſub Naturali videatur comprehendere, in eo tamen diſtinguuntur, quod Fœtus materno clauſus utero vivat

& alatur, quamvis nulla vitalis facultas in corde affulgeat; quod cæteris illæſis Facultatibus, interdum Vitalis ſola lædatur, quod Naturalis ſoli nutritioni & ſtirpibus, Vitalis ſolis animalibus conceſſa ſit.

Ancillantur autem huic Vitali Facultati vis pulſifica, ſeu σφυγμικὴ, & reſpiratio; ut per illam cordis, per hanc totius corporis calor ventiletur. Cordi & arteriis communis eſt, illi tanquam fonti, his tanquam rivulis; nec ut Vitalis, partibus omnibus communis eſt, ſed cùm arteriæ à corde ſcaturiant, ad unum & eundem uſum contrahuntur ſimul & diſtenduntur, & ſi velimus cum Galeno loqui, arteriæ ab expreſſo ſpiritu è corde non implentur, ſed potius ab aëris attractione; neque dilatantur quia implentur, ſed implentur quia dilatantur: Actio verò hujus, Pulſus eſt Diaſtole conſtans & Syſtole.

Vis pulſifica.

*Cap. 5. de uſu partium.*

Huic autem motui diaſtoles & ſyſtoles reſpondet inſpiratio aëris & expiratio; illa calorem inſitum ventilans, hæc fuliginoſa expellens; his enim alternis motibus gemina quie-

te diſtinctis reſpiratio perficitur. Hæc functio non eſt cenſenda vitalis, ut pulſifica, ſed mixta: naturalis enim eſt reſpiratio & coacta ratione uſus & cauſæ finalis, qua neceſſitati potius quam voluntati obtemperat; animalis & voluntaria, ratione muſculorum qui thoracem contrahunt & diſtendunt.

Animalis facultas.

Omnium nobiliſſima Facultas Animalis eſt, quæ in Cerebro, tanquam in vero ſolio (ſolo refragante Ariſtotele) reſidet; tum quia ibi ſenſuum organa ſunt, qui animæ ancillantur; tum quia functiones animales obliterantur obſtructis vel compreſſis cerebri ventriculis, quos ſenſus motuſque ſequitur privatio, cordis motu perſeverante. Hujus Facultatis triplices Galenus conſtituit functiones; Sentientem, Moventem & Principem. Prima ſenſus externos, ſecunda Motum voluntarium, tertia Phantaſiam, Memoriam & Rationem complectitur.

Sentiens facultas.

Et Senſibus oritur principiorum cognitio, quæ menti non eſt naturaliter ingenita; nihil quippe eſt in intellectu

tellectu quòd priùs non fuerit in ſenſu. Senſus autem alius internus, qui Senſus Communis dicitur; alius externus, *qui* quintuplex; duo enim ſunt neceſſitatis, ut Tactus & Guſtus; tres autem commoditatis, Viſus, Auditus, Olfactus. Tactus eſt potentia ſenſitiva exterior in nervis per totum corpus expanſis poſita, media cute aut carne ad tactiles qualitates percipiendas: Hinc nervus sensûs Tactûs inſtrumentum eſt, quod non minus motûs quam ſensûs facultatem obtinet; quamvis in eodem nervo pereat ſæpe ſenſus manente motu, non contra; quia ad motum majus robur facultatis quam ad ſenſum deſideratur. Guſtus potentia dicitur ſenſitiva exterior, ſapores per linguam excipiens medio humido ſalivoſo: adeout Saliva quæ à tonſillis in linguam profunditur, debeat objectum & organum intercedere. Odoratûs organum Galenus conſtituit duos proceſſus mammillares qui per Narium ductus hauſtos odores, ſeu eorum ſpecies cum inſpirato aëre ad Senſum Com-

Senſus quinque externi.

munem deferunt : Nec enim exiſtimandũ eſt ſolam odoris qualitatem, ſed cum ea nonnihil tenuis ſubſtantiæ Cerebro communicari, à qua ſpiritus celerrimè deficiuntur. Auditus fit dum vernaculus aër ſeu inſitus, membrana obductus in interna auris parte ab externo aëre percutitur, cujus fit refractio per tria illa oſſicula, quæ Incus, Stapes & Malleolus dicuntur, quæ in aurium ſinuoſis meandris ſita auditum juvant; ſic enim non ſtrepitus, qualis fieret, ſed ſonus, ſeu vox diſtincta auribus percipitur, cujus ſpeciem ſeu imaginem ſpiritus per nervum auditorium ad ſenſûs tranſmittit principia. Viſûs organum Oculus eſt, ex quinque tunicis, tribuſque humoribus concinnatus; quorum qui Criſtallinus dicitur, omnium puriſſimus, præcipuum eſt ſpeciebus viſibilibus recipiendis inſtrumentum, quamquam multi ejus membranam Arachnoidem conſtituant; verùm quia hæc tunica Criſtallino ſubſervit & annectitur, uſumque præſtat involucri, hunc potius ſtatuere decet ex

mente Galeni ; tùm quia viſiva facultate perfuſus, ſolus à coloribus alteratur, tum quia videtur eſſe oculi centrum à quo opticæ ſpecies, ſpiritus animalis & nervi beneficio, ad interioris ſenſus tribunal faciliùs deferuntur. *Cap. 1. lib. decimi de uſu part.*

Quod movetur Animal eſt, quod non tantum appetitu cum ſenſu conjuncto motum præſtat, ſed rerum ſenſu perceptarum imaginibus ſub ratione boni vel mali in Phantaſia relictis: Motus autem non minùs quam Senſus, nervorum fit beneficio, verùm ſoli partem movere non poſſunt, ſed muſculi ex his & aliis partibus conflati; unde in quolibet motu animam imperare, nervum cum ſpiritu imperium deferre, muſculum obſequi agnoſcimus. Facultas movens.

Principis Facultatis quinque differentias Ariſtoteles & Avicenna conſtituunt: Senſum communem, Phantaſiam, Rationem, Memoriam & Reminiſcentiam: Galenus verò tribus hanc concludit differentiis, Phantaſia, Memoria & Ratiocinatione; Senſum communem ad Phan- Princeps facultas.

taſiam, Reminiſcentiam ad Memoriam revocans. Senſus Communis eſt vis quædam communis, quæ in cerebri arce conſtituta objectorum variorum ſpecies admittit, de eorum functionibus judicando. Hic autem ſenſus internus in eo ab externo ſenſu differt, quod hic à præſente tantum movetur objecto, ille verò abſentis idæam & imaginem conſervat. Memoria ſpecies omnes & imagines à ſenſibus hauſtas recondit, & quaſi inſculptas gerit; idque perceptione præteriti temporis; unde patet nullam brutis ineſſe memoriam, cum nullam habere poſſint elapſi obſervationem temporis, mala quippe aut bona quæ ſenſerunt, agnoſcunt quidem, ſed ea tanquam præſentia apprehendunt.

Intelligentia ſeu ratiocinatio.

Intelligentiam duplicem ſtatuit Ariſtoteles; unam tabulæ raſæ inſtar, quæ cum corpore communicans ut patibilis, poteſt quaſlibet notiones ſuſcipere: alteram quæ agendo, rerum notiones ab omni materiæ ſecretas commercio ſpeculatur; & dum exceptas revolvit, ſe

ad judicandum ita excitat, ut ſi notiones ſint compoſitæ, dividat; ſi diviſæ componat; ſi utiles, eligat; ſi noxiæ, rejiciat; ſi falſæ, refellat; ſi veræ, approbet.

An verò Principes Facultates promiſcuè in cerebro exerceantur à ſola ejus temperie; an ſedibus diſtinguantur in ſuo functionum miniſterio, dubitare licet. Arabes volunt dari ordinem in Facultatum ſedibus, ut datur progreſſus in earum functionibus, ideoque Senſum Communem cum Imaginatione in anterioribus cerebri ventriculis collocant; conveniens utique erat ut in anteriore parte cerebri potentia illa rerum ſuſciperet imagines à Senſibus externis, quos natura verſus faciem poſuerat: æquum erat ut Cogitativa ſeu Ratiocinatrix ſecundum ſibi locum vindicaret, ut illas ſpecies aut ab illis abſtractas dijudicet, & fideli Memoriæ committat, quæ in poſteriori cerebri ventriculo ſedem conſtituit. Hinc quibus latum eſt occiput, memoriâ valere; quibus frons extenſus, fœlici imaginatione; ut ju-

dicio pollere quibus bene conformatum eſt & amplum ſinciput. Adde quod una ex iis Facultatibus læditur aliis illæſis, quod fieri vix poſſet ſi illæ omnes in eodem loco conſiſterent; licet Neoterici aliter ſentiant: Volunt enim unam functionem in cerebro lædi, altera illæſa; non ratione diverſæ ſedis, ſed quia Facultas, una potius quam altera temperie ad munus obeundum utitur. Hinc ad Imaginationes potentiam calor & humiditas; ad Memoriam moderata ſiccitas; ad Iudicium legitima cerebri temperies creditur conducere. Et certè ipſa cerebri qualitas potius quam conformatio, ad animæ facultates videtur neceſſaria, à qua magna ingeniorum varietas: Unde inconſtantia calidam, ſtupor frigidam, oblivio fluidam, pertinacia ſiccam cerebri conſtitutionem eſſe jure merito teſtatur.

# MEDICINA ANIMI,

SEV

*COROLLARIVM SEXTVM;*
*Ad Facultates & Functiones.*

SI ſedulò Facultatum rimaris potentiam, Iatrophile, nihil magis in Medicina abditum, nihil magis occultum nanſciſceris. Admittis equidem Facultatem velut potentiam, cujus miniſterio ſuas formæ exercent functiones; quoties enim actiones in nobis præſtari cernimus, ſuperiorem his cauſam mente neceſſariò complectimur, quam illæ, velut umbra corpus, conſequuntur, facileque deprehendes hâc cauſa præſente actiones perfici, hac verò decedente deſtrui. Sed quænam ſit illa Facultas, ſi Galenum conſulas, fateberis una cum maximo illo Naturæ Genio, hanc omnino tibi eſſe ignotam, imò tanquam rem divinam miraberis.

Verum, Iatrophile, Facultas quam in theſauris Medicinæ abditam agnoſcis, num videtur præ ſe ferre Gratiæ imaginem? Gratia quippe ea eſt ſine qua nec bonum inchoare, ſine qua nec bonum valemus perficere, cùm Gratia animæ noſtræ vita, ſeu vitæ noſtræ anima cenſeri debeat. Sed quâ vi præſtet Gratia, occultum eſt, altum eſt, inacceſſibili ſecreto ab humana mente ſecluſum eſt. Dicerem libenter de Gratia, quod olim Plinius de magnete magno illo naturæ miraculo; nemo enim eſt qui neſciat domitricem illam rerum omnium materiam ab illo lapide edomari, ferrum inſenſibile ab illius vi ſenſum quendam, reluctante licet duritie, admittere, & invito pondere è ſuo efferri tumulo, ut trahenti propius aſſiſtat, & vinculo nexuque fere indiſſolubili adhæreat: Sed hujus effectûs cauſam tam occultam quis unquam potuit detegere? Ferrum quidem attrahit magnes, dubium illud relinquendo, qua manu illud attrahat, quo ſenſu ferrum feratur ad incognitum. Unde ex-

clamare licet cum Auguſtino, *Quid de Magnete lapide, quid neſcio qua ſorbitione inſenſibili ſtipulam non moveat & ferrum rapiat?* Mirare cum Auguſtino in gratiæ imperio quod inveſtigare non ſufficis. Mirari quidem licet Gratiæ potentiam, dum animos terræ velut affixos attollit, induratos emollit, contumaces edomat, & ferreos devincit; ſed an marte vel arte, an amoris & ſuavitatis illecebris, an potentiæ imperio, an trahentis vi & robore, an ſequentis obſequio; Illud eſt quod hucuſque rationi dubium, curioſitati tormentum, intelligenti moleſtiam peperit. *Nemo*, inquit Auguſtinus, *venit niſi tractus: quare vero illum trahit & illum non trahit, noli vel modicum judicare ſi non vis errare:* cum enim munera divina de profundo Dei veniant judicio, ſapienter te admonet, altiora te nè quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.

Lib. 21. de Civit. Dei.

*Contra Fauſtum.*

Tract. in Ioann. *Auguſt. ſerm. 11. de Mart.*

*Tract. 53. in Ioan.*

Sed, Iatrophile, quia agnoſcis Facultatem tanquam cauſam à qua procedit actio, eamque triplicem in humano corpore admittis; Vitalem

ſcilicet per quam exiſtimus; Natu-ralem per quam vivimus, & Anima-lem per quam ſentimus & move-mur; nonne differentia hæc Schola-rum, Gratiam Dei in memoriam revocat cujus ſymbolum eſt, *in ipſo* enim *vivimus, movemur & ſumus, cum ipſe det omnibus vitam & inſpi-rationem & omnia*? Nec enim, ex mente Auguſtini, homo factus eſt ut poſſit deſerente eo qui fecit, age-re aliquid tanquam ex ſeipſo: Agi-mur quidem & agimus; movemur & movemus; ſed in ipſarum Functio-num miniſterio Facultas imperat, pars ſubminiſtrans ejus ſubjecta im-perio obſequitur; illa regit, hæc re-gitur; illa jubet præſtare quod hæc tenetur exequi. *Deus eſt*, inquit Au-guſtinus, *qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate*; nos ergo volumus, ſed Deus operatur & vel-le; nos operamur, ſed Deus opera-tur in nobis & operari. Unde ut ille idem ſcribit Auguſtinus, *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus*; præbendo vires effica-ciſſimas voluntati. Agis igitur &

Act. 17. cap.

*Lib. 5. de Geneſ.*

Lib. de grat. & libero arbitrio.

ageris divinæ Gratiæ influxu ; ageris victrice ſuavitate quæ animum demulcet, amore vincente qui voluntatem leniter fortiterque rapit, & ſuavi perſuaſione quæ ſine tyrannide animum ſuſpendit.

Recorderis tamen, Iatrophile, quòd licèt cuique parti inſita ſit agendi facultas ; hanc tamen novo ſemper influentis facultatis egere concurſu, ut in actione perſeveret. Hoc eſt, Iatrophile, quod quamvis Gratia ſanctificans animam agat ut loquatur, & cætera præſtet ; actualis tamen Gratiæ influxum ſemper neceſſarium exiſtima ut actionem ſollicitet, foveat, imo lucem intellectui, amorem voluntati, cæteriſque animæ facultatibus quod neceſſarium eſt liberalitate conciliet : Hac enim ceſſante omnis perit videndi, audiendique functio, motus, ſenſuſque potentia omnis hac deficiente evaneſcit: *Sicut enim*, ait Auguſtinus, *moritur caro amiſſa anima quæ vita eius eſt ; ſic moritur anima amiſſo Deo qui vita eius eſt.* Lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 16.

Scias tamen velim, Iatrophile,

nullo modo Oeconomiæ Naturalis interturbari ordinem, nullamque Functionem intercipi Facultatis corpus regentis defectu; omnis quippe Facultas legitime ſemper ageret, niſi partium ſubminiſtrantium vel intemperies, vel ſolutiò continui, vel depravatio accederet. Cum enim Motus, Senſuſque in parte perit, Facultas in hac illæſa ſtatuitur; ſed ejus Functio evaneſcit; vel quia nimia humiditas mollitiem accerſens luxuriat, vel obſtructio adſtrictioque eius commeatum impediens generatur, quæ ejus influxum naturæ diſpendio prohibet. Diſce hinc, Iatrophile, perennem Gratiæ potentiam in languoribus noſtris; diſce indefeſſum ejus motum in infirmitatibus, gratiamque nunquam feriari, licèt actiones noſtræ ferientur: agit quippe dum deficimus, movet dum immoti ſumus, ſed ejus commeatum, voluptatum impurarum ſaburrâ obſtruimus, vel malitia noſtra, ſuperbia, morumque depravatione intercipimus: Unde ſapienter Auguſtinus,

*Nunquam Deus deſerit peccatorem niſi prius à peccatore deſeratur* , Et in Confeſſionibus exclamat ; *Nemo te amittit , niſi qui te dimittit.* Neque enim infidelis amici inſtar Deus nos diligit, qui dum fortunæ nos amavit aucupio nos deſerit dum illa deſerit; ſed ſua nos præveniendo Gratiâ, illâ nos fovet dum etiam cæterarum creaturarum privamur conſortio. Serm.88. de tempore. Lib. 4. cap. 9.

Agnoſce ex his , Iatrophile, inviſibilis,occultæ & inſcrutabilis in te Gratiæ effectum ; mirare quod non vales concipere ; huic Potentiæ in tuis actionibus concede quod de te non vales præſtare;Noli, quæſo, tibi in curationibus arrogare , quod ejus efficaciæ debes legitimè tribuere: turpe quippe eſſet ex eo inſoleſcere è quo ſciens nihileitatem tuam debes agnoſcere. Fruſtra , crede mihi, rigabis , niſi Deus incrementum dederit ; fruſtra lumen Scientiæ Medicæ in Diagnoſi & Prognoſi adhibebis , niſi Gratia lumen fœcundum intellectui ,fervorem voluntati infuderit.

Sed quæſo, ſic age, Iatrophile, ut Gratiæ nunquam tibi influxum defuturum confidas; ſic tamen vive, ut vel ſenſuum corruptione, vel inflante ſcientiæ, vel ſuperbiæ oſtentatione ejus effectum non impedias: quod enim ſcis, id tuæ facultatis non eſſe noveris ſed Gratiæ ut ab elationis vanitate ſaneris; *Tantò* enim *magis cognoſces Gratiam in te creſcere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare.* Impotentiam igitur, cæcitatem, vanitatem, nihileitatem tuam agnoſcens, ora ut Gratia te præveniat ut bene agas; ſubſequatur ne fruſtra agas; accendat intentionem quâ ad bona peragenda inardeſcas, & tribuat efficaciam, quâ hæc ad perfectum perducere valeas. Sic Gratia, illuſtris illa Facultas, aderit; quæ omnes in praxi Medicinæ functiones præſtando, tibi legitimum ſucceſſum continuo commodabit.

Fulgent. epiſt. ad Theod.

*Gregor. mag. lib. Sacram.*

# MEDICINÆ
## THEORETICÆ MEDVLLA,
## SEV
## MEDICINA ANIMI, ET CORPORIS.

*De Pathologia in univerſum, ubi De Morborum Differentiis.*

### PARS PRIMA.

LICET homo emendatiſſimum ſit melioris Naturæ opificium, licet ſit μέτρον ἁπάντων & cæterorum canon, regula & menſura, conſtat tamen ratione, & experientia, longe pluribus exerceri morbis Animal hoc omnibus imperaturum, quàm cætera animalia. Nec obſtat ſumma corporis, laudabiliſque tem-

peries, ſummum quippe vitium ſummæ integritati videtur ſemper eſſe finitimum; & quod temperatius eſt, minùs injuriis externis obſiſtere, promptiùs corrumpi, deteriuſque fieri, huc uſque ſemper fuit animadverſum: Quod ut magis pateat, in hac Pathologica Medicinæ Medulla, humani corporis Morbos, cauſas & ſymptomata, nec-non ſignorum naturam fas eſt detegere.

Generalem verò hic tantùm percurrere Pathologiam datum eſt, quæ univerſalia tum Morborum, tum Cauſarum, tum Symptomatum genera explicat; quæ ſunt ea omnia quæ præter naturam corpori humano accidunt: quæ enim Pathologia particularis dicitur, ad Therapeuticam ſpectat, & ſingularum corporis partium affectus, cauſas & ſigna demonſtrat.

Hujus autem generalis Pathologiæ duæ ſunt partes, quarum prima ἀιθιολογίαν, quæ morborum & ſymptomatum differentias & cauſas complectitur; altera vero σημειωτικὴ, quæ affectuum contra naturam ſigna

ſigna diagnoſtica & prognoſtica perſcrutatur.

Pathologiam ordimur à morbo, non à morbi cauſa, in eo Galenum & Fernelium imitantes, qui ordinem reſolutionis ſunt ſequuti, utpote ad docendum accommodatiorem, quia ab effectibus ad cauſas, à ſenſibilibus at intelligibilia progreditur; ad ſenſibilia faciliùs doceri poſſunt, quam intelligibilia, & effectus ſunt cauſis notiores; licet Avicenna alium ordinem ſervaverit; ſcilicet Compoſitionis, quo à cauſa morbi, non à morbo auſpicatus eſt; eò quod cauſa morbi morbo ipſo prior ſit.

Morbi definitio.

Morbus igitur ſecundum mentem Galeni proprie definitur, Affectus contra naturam, primò & per ſe partium corporis humani functiones manifeſtè lædens. Morbus affectus dicitur, non affectio; ille enim eſt in ſtatu, hæc in motu; ille pro habitu, ſeu pro eo quod jam factum eſt & permanet in corpore, hæc pro eo quod eſt in ferri, ſumitur. Dicitur contra naturam, non præter; ille

enim de gravibus tantum affectibus, hic de levioribus; qui licèt ex naturæ præſcripto non ſint, nullam tamen, aut ſaltem exiguam, vim illi inferunt, ut faciei lentigo. Additur, primò & per ſe, ſeu immediatè, ut cauſæ morborum excludantur; hæ enim non immediatè, ſed morborum interventu actiones lædunt. Per partes corporis, ſpeciale morbi ſubjectum deſignatur: functionum læſio proponitur, ut morbi effectus indicetur, & licet facultas prius lædi debeat à morbo quam functio, quia hæc facultatem conſequitur; attamen quia morbus eſt affectus partis, non poteſt facultates lædere, quæ ſunt incorporeæ, ſed tantum functiones quæ pendent, à partibus. Denique additur manifeſta actionum læſio, ut morbus à ſtatu neutro qui obſcure tantum actiones lædit, diſtinguatur.

Morborum primæ differentiæ.

Cùm verò morbus ſit affectus partis, ejuſque actionem primò lædat, conſentaneum eſt primas morbi differentias ex partium differentiis conſtitui: at duæ ſunt primæ par-

tium differentiæ ; quædam enim ſunt Similares, ex conſimili ſubſtantia quoad ſenſum conſtitutæ : quædam Diſſimilares ſeu inſtrumentariæ, ex variis & diſſimilibus partibus concretæ ; totidem igitur erunt primariæ Morborum differentiæ, Similaris & Organicus.

Morbus ſimilaris, organicus & communis.

Similaris morbus dicitur qui ſimilaris partis naturalem pervertit temperiem ; Organicus qui diſſimilarium partium ſymmetriam & laudabilem conformationem infringit. Sed quia utrarumque partium, ſimilarium & diſſimilarium, perfectio ab earum coagmentatione & adhæſu dependet, inde tertium morbi genus enaſcitur, dum ejuſmodi partium continuitas ſeu unio violatur atque ſolvitur, iſque morbus qui partium ſimilarium & organicarum uſui & functionibus incommodat, Communis dicitur. Hinc prima ſummaque morbi genera tria ſunt ex mente Galeni, Similaris ſeu intemperies, Organicus ſeu prava conformatio, & Communis, ſolutio ſcilicet continuitatis.

*Lib. de differ. morb. c. 3. & 4.*

Similaris morbi differentiæ.

Ut autem Similaris omnis actio ſecundùm Medicos dependet à temperie; ſic omnis morbus ſimilaris ſub intemperie continebitur, & ſic morbus Similaris per intemperiei differentias legitimè poterit dividi.

Intemperiei tres differentiæ.

Intemperies autem morboſa duplex eſt; Simplex & Compoſita: Simplex, in qua una dumtaxat qualitas à modo Naturæ recedit, & eſt quadruplex, Calida, Humida, Frigida & Sicca. Compoſita, ſeu Conjugata dicitur, in qua plures qualitates à naturali ſymmetria aberrant; & eſt quoque quadruplex; Calida Humida, Calida ſicca, Frigida humida, Frigida ſicca.

Secunda Intemperiei ſive Simplicis, ſive Compoſitæ differentia, duplex: Una nuda, pura & immaterialis, ſine humoris affluxu, ut eſt capitis Phlogoſis à nimio inſolatu: altera materialis, & cum humoris affluxu; ut Phlegmone à calida intemperie unà cum ſanguine: nuda ſolet citius humorem ſibi comitem ad ſciſcere.

Tertia Intemperiei differentia eſt, Æqualis vel Inæqualis. Æqualis, ubi omnes intemperatæ particulæ æqualem nactæ ſunt intemperiem, ut Maraſmus in toto corpore, vel in aliqua parte Sphaſelus : Inæqualis, in qua omnes intemperatæ particulæ varias ſortiuntur intemperaturas; ut in febre lypiria, in qua interiora ardent, algent exteriora.

Quòd ſi ſentias cum Fernelio, materiæ & formæ morbos dari, qui non poſſunt ad morbos Intemperiei reduci; proindeque morbi Similaris tres eſſe differentias; Intemperiem ſcilicet, materiæ immoderationem, & formæ ſeu totius ſubſtantiæ corruptelam : Nos quidem acutiſſimum elegantiſſimi Fernelii miramur ingenium, ſed novam morborum materiæ & formæ introductionem non admittimus; etenim nullos materiæ & formæ morbos dari, vel ſaltem debere ad Intemperiem revocari exiſtimamus : materia quippe partium ſimilarium tenuior aut craſſior, mollior aut durior non poteſt

reddi, niſi fuerit intemperata; quæ enim durior, ſiccitatem; quæ mollior, humiditatem teſtatur: formam verò partium ſimilarium apud Medicos nullam eſſe poſſe præter temperiem mixti & viventis; proindeque ipſam formam alios affectus pati non poſſe (ſi quos patiatur) præter Intemperiem; vulgarem quidem ſi mixti temperies alteretur; malignam verò ſi vitæ principia labefactentur.

Morbi organici differentiæ.

Quodlibet Organum ut ſuas perfecte functiones obeat, conformationem, magnitudinem, partium numerum, earumque ſitum naturæ convenientem complectitur; quorum quatuor immoderatio, Organi ſeu Inſtrumenti morbus dicitur: indeque exurgit quadruplex morbi Organici differentia, Conformationis, Magnitudinis, Numeri & *Si*tûs. Quia verò Organi conformatio figuram, meatum, cavitatem, aſperitatem & lævitatem comprehendit, inde naſcuntur quinque morborum Conformationis differentiæ, figuræ, meatus, cavitatis, aſperitatis & lævitatis.

Figuræ morbus dicitur, cùm Organi figura adeo pervertitur, ut ejus actio manifeſtò lædatur.

Meatuum per quos feruntur & diſtribuuntur contenta, morbi ſunt, nimia dilatatio, ut venæ in varice, & arteriæ in aneuriſmate; & anguſtia, quæ duplex eſt: Adſtrictio & Obſtructio. Adſtrictio, cùm meatus evadunt anguſtiores ab externa cauſa, ut ſpiraculorum cutis ab externo frigore: Obſtructio, cùm iidem meatus anguſtiores fiunt ab interna cauſa, ut bronchiorum pulmonis à craſſa & viſcida materia.

Cavitatis, quæ excipiendi continendique gratiâ à Natura comparatur, morbus eſt, vel nimia anguſtia, ut in iis qui vomunt ab admiſſo cibo propter nimiam ventriculi anguſtiam; vel immodica amplitudo, ut in iis quibus cibus in ventriculo fluctuat; vel repletio ut in veſicæ calculo.

Aſperitatis morbus eſt, cùm ea pars, quæ naturaliter debet eſſe lævis & polita, exaſperatur; ut cum vox raucеſcit ab acri diſtillatione

Tracheiam Arteriam alluente. Lævitatis morbus fit, cùm pars quæ naturâ ſua aſpera eſſe debet, lævigatur; ut dum ventriculus vix poteſt cibos continere à lævigata interiori tunica, quæ rugoſa eſſe debet.

Morbi Magnitudinis, Numeri & Situs.

Magnitudinis morbus eſt, cùm partium moles ſupra modum excreſcit, vel cùm infra ſubſiſtit & imminuitur; ut in macrocephalis, obeſis, vel in iis qui atrophia contabeſcunt.

Morbi Numeri conſiſtunt in exceſſu vel rei naturalis, ut ſexti digiti; vel rei contra Naturam ut polypi; & defectu ut digiti aut brachii. Morbi Situs ſunt, cùm partium naturalis ſitus immutatur, ut ſi manus ſcapulæ adnaſcatur: vel ſi partes ſuo minime ſtent loco naturali, ut in luxationibus & herniis.

Morbus Communis.

*Lib. 4. method. cap. 1.*

Solutionis continui differentiæ, præſertim à cauſis à quibus fiunt eliciuntur; quæ ex mente Galeni quatuor recenſentur; Inciſio, Eroſio, Contuſio & Tenſio. Quæ fit diviſio à re incidente, generatim τραῦμα, ſeu

ſeu vulnus dicitur: ſi pungendo fiat, νύγμα ſeu punctio: ſi ab erodentibus fiat divortium, ἕλκος dicitur ſeu ulcus; in oſſe τερηδὼν ſeu caries, in vaſis διάβρωσις. Si à contundentibus diviſio fiat in partibus mollibus, ἐκχύμωσις ſeu ſigillatio; in oſſibus, ſi colliduntur, θλάσις ſeu contuſio; ſi finduntur, ῥωγμὴ ſeu fiſſura; ſi franguntur, κάταγμα ſeu fractura; ſi à tendentibus fiat continui Solutio, ῥῆγμα ſeu ruptura; ſi pars citra rupturam tenditur, τάσις ſeu extenſio vocatur. Cæterum Galenus has afflictiones propria eſſe vult Pathemata partium organicarum; ſed certè vix earum poteſt fieri diviſio; quin aliquod partibus ſimilaribus accedat detrimentum. *Lib. de diff. rent. morborũ.*

Morbus, vel eſt ſimplex vel compoſitus; Simplex & unus dicitur, qui unius ſimpliciſque generis naturam induit, ut calida intemperies: Hic ſolitarius eſt vel comitatus; Ille eſt qui nullum habet grave ſymptoma, quod ad ſe curantis conſilium revocet, ut ſimplex intemperies: Comitatus dicitur qui cauſam *Morbus ſimplex & compoſitus.*

efficientem ſuam habet comitem; ut Febris putrida, vel quem horrendum aliquod ſymptoma conſequitur, ut Nephritis.

Compoſitus dicitur, qui ex multis morbis ſimul unitis eidem parti inſidentibus reſultat, unuſque efficitur; ut morbus unus fit ex ulcere & intemperie calida. Galenus tamen Compoſitum morbum appellat, dum plures morbi aliàs unicam partem, aliàs plures obſident, & earum functiones conjunctim vel disjunctim labefactant.

*De different. morborum.*

Accidentariæ morborum differentiæ.

Morbus ſecundum accidentarias differentias dicitur magnus, gravis, vehemens vel parvus. Magnus morbus talis eſt per ſe, ut febris ardens, vel ratione partis affectæ, ut leviſſimum vulnus in corde; vel malitia cauſæ, ut Dyſenteria ab atra bile; vel vehementia ſymptomatum, ut colicus affectus. Parvus vero dicitur, qui magno opponitur.

Morbus omnis vel eſt Idiopathicus vel Sympathicus. Ille primò à ſuis cauſis gignitur; hic morbis aliis ſuccedit: Quia verò longo tempo-

ris ſpatio Sympathicus tranſit in Idiopathicum, ideò affectus Idiopathicus duplex eſt: Protopaticus, qui primario & per ſe naſcitur; & Deuteropathicus, qui ſecundariò tantum & per accidens contingit. Omnis autem compaſſio poſitiva eſt vel privativa. Illa fit dum qualitas vel materia morbifica à parte primariò affecta in aliam partem effertur: ſic cerebrum ventriculo fumanti compatitur: Privativa autem fit non affluente à parte primariò affecta, eò quod affluere debet in aliam partem; unde luxatis colli vertebris brachia reſolvuntur, quia facultas motrix hoc obſtaculo non poteſt influere, nec ſpiritus.

Morbi vel ſunt diſperſi, vel communes. Illi, ſunt plures ſimul morbi, vagantes & genere diverſi, quorum alius ut cholera, alius ut Nephritis hanc corripit & ſic à diverſa victus ratione ſcaturiunt. Alii ſunt communes πάνδημοι dicti, qui ſub eadem ſpecie multos ſimul corripiunt: hi autem vel ſunt ἔνδημοι cuidam regioni familiares & vernaculi,

ut Hiſpanis Strumæ, Judæis Lepra, vel ἐπίδημοι qui à communi cauſa naſcuntur, ſed non ſunt certæ religioni addicti, ſed modo hanc, modo illam infeſtant. Alii ſunt morbi varii ab ætate, temperamento & anni tempeſtate. A tempore, morbi alii breves, alii longi: Breves dicuntur qui celerrimè ſua percurrunt tempora, ut febris ephemera: Si autem illud fiat cum ſymptomatum ſævitia, acuti dicuntur, quorum terminus eſt dies decimus quartus, peracutorum ſeptimus, perperacutorum quartus. Qui decimum quartum morbi diem excedunt, & ad vigeſimum producuntur, ij minus exactè acuti: qui verò ad quadrageſimum prorogantur, inter longos & acutos medii conſtituti, acuti ſunt ex decidentia quam Græci μετάπτωσιν vocant. Chronici ſeu longi, ſunt qui acutis ſuccedunt, motu, origine & exitu ab ijs diſtincti.

Morbus malignus vel Benignus dicitur. Malignus eſt qui malignam habet cauſam, & graviora multo ſymptomata quam pro morbi ſpe-

cie & curationem ſimiliter difficilem : unde Malignus morbus ſemper eſt magnus, non tamen contra. Ad Malignos ſpectant morbi contagioſi, venenati & peſtilentes. Contagioſi ſunt qui maligno aliquo effluvio cominùs vel eminùs obvios diſpoſitos afficiunt : Cominùs inficiunt, qui vel contactu contagionis ſeminarium communicant, ut lues venerea à fœdo concubitu, vel fomite, ut ſcabies. Eminùs inficiunt qui per aërem ſuum diffundunt contagium, quem qui poſtea aſpirant, ſimili infeſtantur affectu, ut Phtoë ſeu tabes & oculorum Lippitudo.

Morbi contagioſi, peſtilentes & venenati.

Venenati non tantum fiunt à veneno extrinſecùs contingente, ut morſu canis rabidi, ſed etiam ab eo quod intus ſuſcitatur, ut à menſtruo vel ſemine putri.

Peſtilentes ex cauſa communiſſima, aëre ſcilicet inquinato, ſcaturiunt; quorum alii leviores, ut Ectimata, alii graviores vt Carbunculus. Benignus morbus Maligno opponitur.

# MEDICINA ANIMI,

## SEV

### *COROLLALIVM PRIMVM Ad Morbum.*

Homo totus morbus.

FUneſtam certè ducere licet humani corporis compagem, quæ ex ſolo τῶν παρὰ φύσιν ὄντων exurgit affluxu, morbificamque ἐγκαταδίαιταν quæ ex morborum, qui ſæpius mortis prodromi ſunt, fatali reſultat ſatellitio: unde vulgo homo νοσερὴ ἀπόκρισις, nihil niſi morbus eſt, & apud Hippocratem ſummum Naturæ genium

*Epiſtola ad Damaget.*

ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος ἐστὶ; quaſi homo totus ex morbo conflatus diceretur: Quod facilè admittes, iatrophile, ſi accuratiùs attendas ipſa hominis principia, quæ non minùs morbi quam corporis ſunt elementa; non minùs malorum quam partium quas componunt germina. In ipſo etenim ſemine calor furtivus ſeſe perimendo, humidum radicale deprædatur, & infido conſortio, necis non minùs quam vitæ

ſuneſtum exiſtit ſeminarium. Sanguinis Menſtrui hoſtilis qualitas quamlibet corporis noſtri partem ſuâ infeſtat virulentiâ & lugendam morborũ fatali quodam commercio profert iliadem: imò, quod pejus eſt, maleficio hæreditario fœtum ſigillat avorum ſuorum diris affectibus, eoſque propagatione multiplici diffundit ad ſobolem. Sed ſi malum contactu inficit, non ſic bonum perficit; ad morbum homini lubricus eſt lapſus, ad ſanitatem difficilis eſt tranſitus. Ille quippe unius actionis læſione, ſanitas omnium perfectione & integritate definitur: unde nullam corporis partem detegere licet, quæ vel ætatis vel tempeſtatis ſpolium multorum morborum non experiatur tyrannidem. Numera ſi poſſis eos qui corpus humanum obſident affectus; ſolus oculus præter incognitos, centum ſupra tredecim in exigua circumferentia admittit, & ſi rem ſedulò expendas, nulla eſt pars, nequidem minima, quæ innumeros non patiatur. Nec enim quælibet pars ratione tantum qua-

litatis aut texturæ, morbis afficitur; ſed etiam ratione conſenſus aut ſympathiæ quam ſortitur cum aliis partibus; ſive ratione viciniæ, continuitatis, contiguitatis, adhæſionis ſive ratione operis ſocietatis, generis ſimulitudinis, vaſorum communionis; quibus pars ſana in funeſtum trahitur morbi conſortium: adeout verum ſit aſſerere, partes corporis non ideo ſic uniri, niſi ut cujuſque ſocietas dirimatur, nec tam vario nos genere vivere, quam agrotare.

Nec putes, jatrophile, morbos noſtros de corporis ſentina tantum ſcaturire, ſed etiam ex animo, quem Natura nobis videtur indulſiſſe ſævâ certe mercede contra tanta ſua munera. Hic quippe non minùs carnifex quam hoſpes corporis eſt, cujus maxima voluptas corporis ſupplicium eſt; cujus violenta agitatio univerſalem ejus œconomiam interturbat, cujus illuſtrior facultas aut nobilior operatio ei exitium parat: intelligentia etenim aut ſcientia, non niſi ſummo ſanitatis diſpendio comparatur; adeout hominem morbo-

rum faſciculum aut acervum legitimè liceat appellare, cum præſertim Medicina, quæ velut domeſtica conſolatrix, ſi hominem ὁλογούσον curandum ſuſcipit, omne pœnæ genus remedii loco admovere videatur: pungit ut ungat, vulnerat ut ſanet, & novo doloris genere dolorem demulcet iis remediis quæ plus aloës quam mellis habent; & ſi quandoque ſomnum qui noſtrarum ærumnarum medicus eſt, & gratioſus naturæ amicus, ſuis narcoticis conciliat, novis malis, gravioribuſque ſymptomatis hominem videtur divellere.

Expendas quæſo, Iatrophile, vitæ noſtræ ſcenam & morborum noſtrorum Iliadem. Si totus homo morbus eſt in hoc exilio & morboſo ergaſtulo; ſi ſanitatem non poſſit niſi voluptatis jactura adipiſci, eamque incertam non niſi certo emere ſupplicio, quærat velim tuo miniſterio ex ipſo morbo remedium, & ſciat tuo lumine, utilius eſſe frangi languoribus ad ſalutem, quam remanere incolumem ad exitium: Sciat

*Hug. lib. 1. de anima.*

morbũ non minùs Miſericordiæ Dei quàm Juſtitiæ eſſe fidum miniſtrum, qui crebrò nos vellicat, iter ſignat, & conditionis noſtræ nos admonet; Sciat morbum non minùs eſſe monitorem ſecurum, quàm caſum & ſenectutem; caſus quippe dubia, ſenectus certa, morbus gravia denuntiat; caſus mortem nuntiat latentem, ſenectus præſentem, morbus apparentem. Licèt enim eâ facie qua Medicus es, morbi & mortis oſor ſis, eâ tamen quâ Chriſtianus es Medicus, morbum, licèt ſit mortis mater & peccati cenſus, agnoſcere debes velut ſalutis noſtræ organum & æternæ fœlicitatis prodromum. Et ſi ſapis, Iatrophile, agnoſce invalidam valetudinem eſſe voluptatum carnificem, & nuſquam magis eſſe adverſam valetudinem quamdum eſt proſperrima: Agoſce per morbum multis tædiis corpus implicari; ſed multis explicari animum; & dum pares Dei monitis morbum ferendo, hunc te ſanare reum vulnerando: Agnoſce Deum te pungere ut compungaris,

*Hugo de clauſtro animæ lib. 2.*

& nuſquam magis animum Deo proximum quam dum per dolorem divelleris ; nuſquam magis demulceri ejus ſævitiem , quam conſiderata æquitate ferientis. Diſce igitur , Iatrophile , interiorem hominem de die in diem per morbum renovare , dum is qui foris eſt attritus , marcidus , exhauſtus doloribus corrumpitur ; Diſce doloribus non longis , æternos evadere ; diſce per dolorem pœnitentiam , diſce invaletudine quæ corpus atterit , animæ valetudinem conciliare : Diſce corporis ſarcinam ferendo , culpam animi corrigere : Diſce tu qui ſpirans es cadaver & vile mortis mancipium , ſic te per morbum à teipſo dirimere , ut non tibi ſed Deo vivas; ſic te à Solo ſeparare , ut Cœlo citimus cælum ſpires ; ſic te Deo jungere , ut tibi ingratus , Soli oſor, Deo gratus, cum eo æternam felicitatem poſſideas.

# MEDICINÆ THEORETICÆ MEDVLLA.

*Phyſiologiæ Pars Secunda;*
*Quæ eſt De Morborum cauſis.*

1. *Phyſic: cap. 1.* SI ex mente Ariſtotelis nullius rei queat haberi cognitio, cujus ignota ſit origo; Medicis qui omnia in corporis commoda referunt, neceſſaria erit cauſarum quæ morbos commiſere obſervatio; quâ non datâ videntur ſine remis & velis navigare, naufragium tandem facturi. Cauſa autem morbi apud nos legitime definitur, Affectus contra naturam morbum præcedens & generans, atque actiones partium per ejus interventum lædens. Dicitur morbum præcedere, ſi non tempore, ſaltem naturâ, cum ſub ea ratione cauſa prior ſit effectu: Hæc au-

Cauſæ morbi definitio

tem definitio de cauſa præſertim efficiente debet intelligi, quæ corpus immutat, illudque à ſtatu naturali dimovet; cauſa etenim efficiens eſt quodammodo vitioſus humor, ut corpus vivens; vel ejus pars locum habet materiæ: forma morbi ipſa ſpecies, ut finis actionum læſio, & interitus.

Omnis autem efficiens cauſa vel eſt nobis inſita & congenita, quam ab ipſo ortu accepimus; vel adventitia, quæ nos jam editos extrinſecus invadit. Inſita vel eſt naturalis, qualis eſt primordiorum ex quibus conſtamus repugnantia, ut elementorum contrarietas: vel contra Naturam, qualia ſunt vitia hæreditaria, ut Elephantiaſis. Adventitia cauſa efficiens, eſt externa vel interna: Externa, quæ evidens, procathartica & primitiva vocatur, ſubdivitur in neceſſariam, quæ nobis neceſſariò ferenda eſt, & corpora noſtra neceſſariò immutat, ut res omnis non naturalis, aër, cibus, &c. & non neceſſariam, quam quidem declinare poſſumus, ut omne fortui-

Cauſa inſita & adventitia.

tum: Adventitia interna duplex eſt; Antecedens una, altera Conjuncta: Antecedens, quæ Celſo Abdita, ea eſt quæ primùm facit & fovet morbum.

Cauſa antecedens & Conjuncta, Cauſa Conjuncta quæ multis Continens, ea eſt quæ in corpore ſita, morbo proxime adhæreſcit, ſeu quæ morbum immediatè creat, ut antecedens remotè: Hinc patet nullam eſſe mediam cauſam inter Conjunctam & morbum, quia morbum immediatè producit: rurſumque cauſæ conjunctæ neceſſitatem eſſe majorem, quam antecedentis ad morbum producendum, quia datâ cauſa antecedente, non neceſſariò ſequitur morbus; ſed tantùm habilis videtur ad hunc efficiendum; imò ſæpè morbus antevertitur, ſi mature antecedentibus cauſis occurratur.

Cauſa Principalis, Adjuvās & Sine qua non. Omnis vero Cauſa Efficiens triplex eſt, Principalis, Adjuvans & Sine qua non. Principalis inſita vi, & etiam ſola, id efficit cujus eſt cauſa: Adjuvans ſola quidem nihil efficit, ſed ad efficiendum ad-

jumentá adfert. Cauſa Sine qua non, efficiendi nullam vim obtinet, ſine ea tamen nihil effici poteſt: ut cum pluvioſa cœli conſtitutio Arthritidem concitat, cauſa principalis ea eſt cœli conſtitutio; cauſa adjuvans eſt humorum copia & luxuries; cauſa ſine quâ non efficeretur, eſt articulorum imbecillitas, ut & viarum laxitas per quas humor derivat. Nec omittere debemus cauſam efficientem morbificam, modò per ſe, modò per accidens, aliquando proximè, aliquando remotè, interdum actu, interdum potentiâ, conjunctim, ſeorſim univerſim, & particulariter ſuum opus edere.

Cauſarum externarum tres ſunt differentiæ, divinarum, cœleſtium & ſublunarium: quarum conſideratio partim Theologica, partim Phyſica, partim Medica eſt: quam ultimam ſequemur priori meditatione omiſſa, ne altiùs ſapere quàm par ſit, neve alienum fœtum ſupponere videamur.

Cauſæ externæ ſunt divinæ, cæleſtes & ſublunares.

Divinæ Cauſæ tres ſunt, quarum

una abſoluta eſt, ut Deus, aliæ inſtrumentales, ut Angeli & dæmones, quibus cauſis tertia jure merito additur, ſcilicet Anima humana, quæ per vim Imaginationis humores agitando, morbos concitare poteſt.

' Cauſæ divinæ.

Deum hic morborum authorem ex mente Theologorum agnoſcimus, non ſecundum culpam aut malitiam, ſed ſecundum juſtitiam & ſecundum pœnam; ejus quippe eſt punitio malorum, cujus eſt remuneratio bonorum. Illud autem dupliciter Deus præſtat; mediatè ſcilicet per Angelos & dæmones; & immediate. Sic Deus Pharaonem maximis plagis afflixit, & homines, jumentaque ulceribus defœdavit: ſic fame, peſte & bello per Angelorum miniſterium infinitam hominum copiam exterminavit. Morbos hos divinos Fernelius trans naturam appellavit, in quorum generatione Deus alias voluntariè, alias ex permiſſione concurrit.

*Lib. 1. de abdit. rerum cauſis.*

Veritatem autem hanc de cauſis divinis videntur eſſe ſubodorati

Galenus

Galenus & Hippocrates : ſed hic præſertim, qui in rebus humanis cauſam eſſe divinum Numen, deinde mulierum naturas affirmavit. Quod quidem apertiùs declarat primo Prognoſeon, dum inſinuat Medicum debere morborum naturam detegere, & ſi ſit τὸ θεῖον, ſeu aliquid divinum in morbis, contemplari : quod divinum Galenus à morbis dimovere & ad aëris conſtitutionem conatur transferre; ſed immeritò ſane ; ſi enim ex mente Galeni omnia quæ occulta ſunt divina dici non debeant, ſed tantùm quæ ſunt admirabilia, cur ad temperiem aëris in quo omnia ſunt ſenſibilia, nihilque quod admirabile ſit, morborum divinitatem tranſtulit? Unde licet melius cum Lud. Dureto, viro doctiſſimo, & fideliſſimo Hippocratis interprete, illud τὸ θεῖον ad Deum & ad divinas cauſas referre; impropriè vero ad aëris, ventorum & temporis circumſtantias : quod Homerus videbatur innuere, dum & peſtilentiam

*Lib. de natura mulier.*

*Commentario in 1. Prognoſ.*

*Commentar. in Coac. praenot.*

ſagittis volebat Apollinem immittere: & hacce ratione ad templa non minus quam ad remedia in morborum curatione deberent confugere: ad templa, inquam, ut Dei iram oratione temperarent, ad remedia, ut conceſſa à Deo remediis facultate, doloris ſævitiem demulcerent, eorumque beneficio morbos præcaverent & curarent.

Dæmones morborum cauſæ.

Nemo eſt qui neſciat dæmones, pravam illam cæli ſobolem, numquam quieſcere hominum damnis ſaturatam, ſed oberrando modo in animas ſævire, modo corpora occupare & ſæviter dilaniare: Illud autem præſtant dæmones tripliciter; per voluntatem, per potentiam, per realem efficientiam. Prava quippe ſua voluntate non tantum corpora exercent & animas, ſed etiam fortunæ bona depopulantur: potentiâ rerum omnium naturalium vim ſuperant, & ab illis corpora agitari poſſe Philoſophi admittunt; nec tamen credendum eſt ſecundum velle & poſſe libere operari, ſed divinam providentiam hanc regere & mode-

rari : Per realem autem efficientiam, dæmones etiam agere, ſuo ſatis damno homines experiuntur : ſi enim naturalia morbos inducere poſſunt, quidni dæmones qui ſupra naturam ſunt ? cum etiam Scriptura ſacra multos afferat, Chriſti tempore dæmonum ſpiritu agitatos, & inter eos virum quendam dæmoniacum lycantropia ſeu melancholia lupina laborantem ; huc & illuc per deſerta & ſolitudines luporum more divagantem : Profert & alium ſpiritum malum Epilepſiam inferentem circa plenilunium, quem Epilepticum Matthæus lunaticum appellabat, quod plenilunii tempus dæmon præſertim obſervabat, tùm ob humoris majorem hocce tempore luxuriem, tum ut Medicis imponendo cauſam tanti ſymptomatis in Lunam referentibus, diutius ægrum exerceret. Licet verò nulla ſit proportio inter id quod materiale eſt & incorporeum, cum nullus ſit contactus & omnis actio per contactum fiat, tamen dæmones ſive ſubingrediantur corpora humana, ſive obſi- Cap. 17.

deant aut aſſiſtant, vel agunt ſupernaturaliter, vel ex venenis & cadaveribus noxias qualitates eliciunt, ut morbos inferant, ſpecies rerum naturalium adhibendo; vél illud præſtant pro humorum dominantium in corpore conditione, movendo, agitando, & deferendo, unde furorem, deſperationem, & terrorem exprimunt, præſertim è ſucco tartareo ſeu melancholico, qui vulgo ſedes & pabulum dæmonum dicitur: unde mos erat antiquis Exorciſtis poſſeſſorum corpora ante conjurationem, ab eo tartareo ſucco, ægros remediorum purgantium beneficio, liberare.

Energumeni quomodo dignoſcendi.

Abſurdum igitur eſſet tot tantorumque morborum cauſas ad Naturam reducere; cum Medici ipſi agnoſcant multos eſſe morbos trans Naturam, ipſeque Fernelius admiſerit juvenem quemdam graviſſimis convulſionibus ab ipſo dæmone fuiſſe agitatum, quem Medici fruſtra, non ſine artis ignominia, multis remediis fatigarunt: ideoque Medici ſibi, artiſque ſuæ decori conſu-

lent ſi vera & certa diagnoſi ἐνεργουμένους, ſeu vere à dæmone Poſſeſſos poſſint diſcernere; ſapientis quippe Medici eſt ſimilia à diſſimilibus diſtinguere, quia ſimilitudo multis impoſuit; in his enim decipi, vertitur in Artis dedecus, & in ipſorum etiam Poſſeſſorum detrimenta, quorum ſalus petenda eſt ex eccleſiæ Catholicæ ſuffragiis, quæ dæmonum virtutem eludit, eamque ſpiritualibus armis expugnat.

Operationes autem dæmonis in Energumenis, vel ſenſu percipiuntur, vel animæ facultatibus. Signa quæ à corpore petuntur, ſunt latratus canum, ferini ululatus, vultus truculentus qui ſæpe ſummum intuentibus horrorem incutit; ſumma voracitas, Polyphagia, linguæ horrenda extractio, dentium ſtridor, ſpinæ contortio, volutatio indecora, in terram alliſio, totius corporis jactatio, corporis in altum elevatio citra adminiculum, imò ἀναισθησία tanta, ut ſi acu pungantur, nec ſentiant, nec fundant ſanguinem.

Hæc ſigna, fateor, maximi ſunt momenti & ponderis; ſed quia ſunt quidam affectus in corpore, qui ſimilia exprimunt ſymptomata; ut furor uterinus, Lycanthropia, Erotica ſeu Hyſterica paſſio, ideo ne fallamur analogiâ in re tam ardua, debemus ea ſigna adamuſſim penſitare quæ petuntur ex animo, ut ex multorum ſignorum ſyndrome certior evadat cognitio. Hæc autem ſigna tria ſunt; occultorum ſcilicet revelatio, idiomatum peregrinorum ſcientia & αὐτοδιδασκαλία ſeu ſcribendi, legendi, & canendi ars quæ nullo ſtudio, nullo labore fuit comparata.

Si quis igitur occulta referet, quæ humanam cognitionem ſuperant, vel quæ voluntas humana nondum in actum protulit, vel quæ natura adhuc in ſuo ſinu fovet, id dandum eſt cacodæmoni, qui cum non ſit bonis privatus naturalibus, ſed tantum gratuitis, præterita habet perſpecta, & futura plurima prævidet, quatenus ab ea voluntate pendent, quæ affectum & propenſionem corporis ſequitur. Nec minus certum

ſignum eſt,linguarum aut artium incognitarum ſcientia, neque enim humanus intellectus quæ non didicit loqui poteſt aut intelligere; nihil quippe eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu;nullam habet anima noſtra ſpeciem aut cognitionem inſitam: quamvis enim multi, ut Lemnius, aſſerant mentem humanam quæ craſſa humorum & corporis nube obruitur, aliquando in febribus æſtuoſis, partim ſpirituum fervore, partim humorum agitatione adeo commoveri, ut vires reconditas palam exerat, & linguam prius incognitam ab ægrotis non ſecus quam ſilicis colliſio vel vinum in temulentis,extundat: hanc certe experientiam non poſſum admittere, etenim ſi vera eſſet, plus tribueretur morbo quam ſanitati, plus vitiatis ſpiritibus & incenſis, quam legitimæ conſtitutioni. Quod etiam abſurdum videtur aſſerere apud Chriſtianos, ſi enim mens noſtra artibus & linguis ante uſum imbueretur, eſſet corpore antiquior, & alibi deberet exiſtere;

*Cap. 2. lib. de occult. natur. miracul.*

nec ulla daretur ſcientia, ſed tantum reminiſcentia: at certum eſt ſcientiam ortum habere ſuum & incrementum, ut & omne virtutum genus quæ pendent ab anima.

Sed præter allata debemus jure merito ab ipſo Medicinæ fonte duo ſigna certiſſima inveſtigare, quorum beneficio vexationem dæmoniacam à morbifica valeamus diſtinguere. Primum eſt, quòd nullus ſit affectus morboſus pauló ſæviens, qui actiones corporis manifeſte non labefactet, & poſt ſolutionem ſuæ violentiæ non relinquat veſtigium: At conſtat Energumenum intermiſſa vexatione in priſtinum corporis ſtatum & valetudinem ſtatim reſtitui, citra ullam coloris in vultu, in actionibus, & corporis habitu mutationem. Secundum ſignum eſt, quòd morbus quilibet ſua obtinet tempora, principium, incrementum, vigorem & declinationem, quæ ſunt gradus uniuſcujuſque affectus: at Energumenorum paſſio ſubitò eos adoritur, cum multâ ſævitia, & momento deſinit, & ſi periodorum vi

recurrat,

recurrat, in illis detegere non licet viciſſitudinem & intervalla quæ ſolent in paroxiſmis morborum obſervari.

Cæterùm non poſſum cum iis convenire, qui in Lycanthropia & dæmonio lupino (ut vocat Avicenna) ſimilibuſque affectibus homines verè in lupos converſos exiſtimant; licèt enim rabiem lupinam imitentur, ſpecie tamen humana graſſantur; cùm non poſſit anima hominis corpus belluinum organis idoneis deſtitutum informare. Nec ſufficit ab Authoribus allata quorumdam hominum Metamorphoſis, etenim fictitia, magicaque debet cenſeri illa mutatio, ope ſcilicet cacodæmonis, qui vel ex aëre tale corpus efformans, vel lupinum aſſumens, rabie, ululatu, variiſque aliis modis ſolet hominibus imponere.

Nec tantùm per ſe dæmones morbis homines exercent, ſed etiam per eorum operam, qui Magicam artem profitentur, pactis publicis, privatiſque, tacitis vel expreſſis, Cauſæ magicæ & maleficæ.

familiari quodam cum dæmonibus commercio. Quod fit in morbis Præſtigio, Medicina, Divinatione & Maleficio. Præſtigio, dum Magi immutant objectum, medium, & organum; ex parte quippe Organi Præſtigium fit vel humorum ſpirituumque agitatione, vel nervorum obſtructione, vel inordinato motu, vel externa ſpecierum extranearum repræſentatione. Unde Magi Præſtigii miniſterio, luporum, aliorumque animalium, ad hominum terrorem, figuram induunt, imo ut ſibi eos concilient, mendacem homicidarum, latronumque imaginem ſpeculis & unguibus oculis repræſentant; quo pacto ſolent hominum curioſitatem fallere, eorumque cognitionem incertam Præſtigii vi, vel arte ſæpe deludere.

Divinationem non minùs quàm Præſtigium Magi adhibent, ut cædes, furta, theſauros, ut & morborum quorumdam authores revelare valeant; & in hoc præſertim caſu vanæ cujuſdam Medicinæ praxi mirabilia adſtantibus pollicen-

tes, morborum quos incurabiles vocant, curationem aggrediuntur: quod aliquando præſtant vel per occultam remediorum cognitionem & experientiam à dæmonibus acceptam, vel per vim pacti, vel per tranſlationem morbi in aliud ſubjectum, vel per inſidioſam dolorum ad aliquod tempus levationem.

Quod verò ad Maleficium attinet, illud Magi perficiunt, varioſque morbos inferunt per vim pacti influentem à dæmone, cui pacto multa inſtrumenta annectunt, verba, ſcripta, contactus, afflatus, characteres, ſigilla, imagines, numerum arithmeticum, amuleta & periapta, quibus omnibus utuntur in variis maleficiorum differentiis. Etenim Maleficium aliquando eſt ſomnificum, dum ſomnum vaporibus aut potionibus conciliant, vel ut ſenſus deludant variis imaginibus, vel ut menti terrorem incutiant, vel ut furta faciliùs committant. Aliquando Maleficium veneficum eſt, dum Magi venenatos morbos inferunt, & mortem accerſunt

venenis naturalibus & artificialibus, per evaporationem, aut alio modo. Aliquando Maleficium faſcinatorium eſt, quod præſtatur maligna humorum & ſpirituum noſtrorum qualitate, aut imaginationis vi, quam Magi in virtutem dæmonis concitant. Sed ſæpiùs Maleficium amatorium eſt, quo Magi, Lamiæ & Maleficæ mulieres per Philtra & pocula amatoria appetitum humanum in amoris furias protrahunt, & illæſa voluntate (in quam nulla dæmonibus juriſdictio aut coactio) concupiſcentiam per certa quædam remedia, modò naturaliter, modò ſupernaturaliter agentia, ita concitant, ut oculis rei amatæ idolum & imaginem imaginationi repræſentando, ignea amori pabula continuò ſubminiſtrare non deſinant: quibus Maleficiis non tantùm mali & peccatores, ſed etiam juſti, juſto tamen Dei judicio ſubjiciuntur.

Nec cuipiam dubitare licet de dæmonum Magorumque potentia, qui non tantùm fortunæ bona depopulari, ſed & morborum iliadem

infligere, menti rationique tenebras obducere, imò & vitam valent pro conceſſa à Deo libertate, eripere: Etenim ſacrarum Litterarum, ſanctorumque Patrum authoritas, decreta & ſanctiones, tum etiam exempla, hiſtoriæ & experientiæ ſatis ſuperque illud cogunt confiteri. Neque tamen exiſtimandum eſt eos qui per dæmonum virtutem operantur, omnibus nocere poſſe; horum enim potentiam Deus pro ſua bonitate vel moderatur, vel coercet.

Animæ humanæ per vim imaginationis imperiũ.

Sed major difficultas eſſe poteſt excutere, an ab anima humana per vim Voluntatis & Imaginationis morbi, tùm intra tum extra corpora imaginantium poſſint generari. Si enim Cabaliſtis, Arabibus, & & Paracelſiſtis fidem velimus adhibere, morbos intra vel extra corpora virtute Imaginatricis facultatis non tantùm produci & curari, ſed etiam miracula perfici exiſtimabimus: Cenſent etenim ab Imaginatione humana extenſa & elevata, non tantùm elementa permutari,

& cælos penetrari, ſed etiam cor-
pora mirabiliter efformari.

Nos ſummum Imaginatricis facultatis eſſe imperium, illud tamen intra corporis imaginantis limites retineri, neque ad aliena corpora extendi poſſe, agnoſcimus; tum quia Imaginatio actio eſt corporea & materialis, quæ non poteſt niſi per contactum perfici; at nullus poteſt inter Imaginationem & corpus alienum contactus intercedere: tum quia Imaginatio actio eſt immanens, quæ ut facultas eſt, non poteſt animæ eſſentiam deſerere, nec ut functio, ſine temperie & ſpiritibus perfici, nec agere, niſi in ea quæ ad ipſam ordinantur: At conſtat corpora aliena talem non eſſe conditionem ſortita, nec in ea animam per virtutem Imaginationis ullos radios, ſpecies, ſpiritus, aut qualitates poſſe influere, ut morbos, vel alios affectus reales producat.

Quod ſi Oſcitans videatur per vim ſuæ Imaginationis, Oſcitationem producere in alio, id non eſt

ſimplex Imaginationis effectus ; ſed id fit quia Oſcitatio prioris , objectum eſt commovens Imaginationem poſterioris , cui ſpecies , humores , & ſpiritus ad Oſcitationem ſubſerviunt.

Quod ſi obtrudant figuras quaſdam & ſigilla per vim Imaginationis fœtui cereo imprimi in gravidis mulieribus , quæ hunc obſignant , rerum deſideratarum ſpecie : verùm tam arcta ſtrictaque eſt fœtus & fœtæ conjunctio , ut unum videantur corpus efficere , ſicque fœtum humorum , caloris & ſpirituum communium commercio facillimè poſſe ſic affectam ſpeciem ſuſcipere.

Admittimus tamen & morbos produci per Imaginationis vim , & ſanitatem conſervari ; cùm ſubdita hæc ſit animæ imperio , & ab illius diſpoſitione dependeat ; imò multa pathemata produci appetitivæ facultatis ephodo , quorum viciſſitudo modò pallorem faciei , modò ruborem conciliat ; licèt fatendum ſit motus naturales cerebri , cordis ,

arteriarum & inteſtinorum, ad Imaginationem ordinationem non habere.

Cæleſtes morborũ cauſæ.

In ipſis etiam cæleſtibus corporibus morborum cauſas quærere licet, quia ex mente Philoſophorum tribus modis cœli ſublunaria afficiunt; Motu ſcilicet, Lumine & Influxu, ſeu occulta virtute. Primò igitur influunt cæli, & morbos producunt per maleficos & occultos influxus, ut in morbis epidemiis, licèt aſtra malefica inde dici non poſſint; illud enim per accidens tantùm, non per ſe contingit, ſine conſilio quippe & ratione cæli agunt, non ſecus quàm Natura dum morbos paſcit, aut venenata medicamenta è potentia in actum reducit. Secundò influunt morbi à cælis per anni tempeſtates, quæ ſecundùm mentem Hippocratis morbos pariunt, vel per Elementa & Meteora, vel per qualitates manifeſtas, ut dum inſolatus cephalalgiam, vel lunæ radius diſtillationem concitat.

Nec debes cælis actionem in hæc inferiora denegare, ob diſtantiam,

eo quòd omne agens Phyſicum debet eſſe proximum & per contactum operari: corpora etenim cæleſtia virtualiter tantùm, & mediatè per contactum Phyſicum inhæc ſublunaria agunt, hacce ratione non poteſt obeſſe actioni diſtantia.

Sublunares morborum cauſæ nobis ſunt eæ, quæ in hoc ſublunari mundo contentæ, corpora noſtra per contactum Phyſicum aut Mathematicum afficere, morboſque poſſunt adducere; inter quas res non naturales primum locum obtinent, quæ ut ſunt morborum opifices, à nobis ſunt conſiderandæ. Sublunares cauſæ morborum.

Medici Aëris nomine multa complectuntur, venti quippe, regiones, anni tempeſtates, ignis, aqua, terra ſæpius corpora noſtra per aërem afficiunt; cujus tanta eſt ex mente Hippocratis neceſſitas, ut ſpiritus, humores, partes, totiuſque corporis habitus, ex ejus conditionibus dependeant. Hinc jure merito homo dici poteſt aëris mancipium, quaſcumque enim injurias ejus experitur miniſterio, & verſatili ven- Aër ut cauſa morborum. *Lib. de Flatibus.*

torum & tempeſtatum anni ſubjacet imperio. Aër autem, ſeu inſpiratus, ſeu per cæcos cutis meatus deductus, morbos parit, vel qualitatum vitio, vel ſubſtantiæ corruptela, vel repentina & inſolenti mûtatione. Fervidior. Aër ſpiritus inflammat, humores adurit, cutis poros reſerat, calorem nativum exhaurit, & corporis ſubſtantiam laxat. Frigidior verò, ſpiritus conſopit, humores incraſſat, & fuliginoſorum excremẽtorum perſpirationem prohibet. Humidior, ſpiritus tenebricoſos reddit, cruditatum luxuriem parit, & corpus tanta ſaburra onerat, ut muniis obeundis ineptum efficiat. Siccior Aër minùs eſt infenſus hoſtili qualitate, ſed obſtructionum parens cenſetur, & perſpirationi obeſt dum corpus condenſat.

Subſtantiæ Aëris corruptela morborum malignorum præſertim, & peſtilentium mater eſt intrinſecè vel extrinſecè. Intrinſecè, dum ſeminarium peſtilens Aër contrahit, ſi dat non perflatur: Extrinſecè, cùm aliorum elementorum inquinamen-

tis inficitur, vel aliorum corporum putridis vaporibus inquinatur, vel ſyderum malefico influxu depravatur. Inſolens etiam & ſubita Aëris mutatio, morbos concitat, quod non tantùm fit ſi ex ſalubri Aëre in pravum, ſed etiam ſi ex inſalubri, at conſueto, in laudabilem & inſuetum fiat repentina mutatio.

Alimenta morborum cauſæ.

Sæpiùs Alimenta morbis pabulum & materiam ſuggerunt; vel ſua ſubſtantia, dum ſuccum corruptum ſuppeditant, & humorum maſſam ſua putredine ſaginant; vel dum craſſa & lenta materia contumaces obſtructiones generant: vel qualitate, dum calore ſpiritus humoreſque incendunt, vel frigiditate cruditatum proventum faciunt. Nec tantùm ſubſtantiâ aut qualitate Alimenta morborum exiſtunt ſeminaria, ſed etiam quantitate: eorum enim exceſſus non tantùm plethoram, ſed etiam quamlibet cacochymiam accerſit; unde præcipuum ſanitatis fundamentum eſt, numquam veſci cibis ad ſatietatem; ſi ſic naturam ἐν τῷ ποσῷ ducem ſequimur, ut ἐν τῷ ποιῷ

Natura ab arte regitur. Nec tantùm carnium ſagina corpori imbecillitatem, ſed & animo languorem accerſit; unde ſi vis ſanè ſanctèque vivere, vivas Medicè & modicè; Medicus enim eſt ſibi, qui modicus eſt cibi. Defectus etiam Alimentorum, multorum morborum parens eſt; calor quippe nativus inedia marceſcit, ſpiritus acer & macer jejunio bilioſis naturis incenditur; Pituitoſis depluit materia è cerebro in ſubjectarum partium perniciem: Sanguineis ſanguis in venis ebullit, & Melancholicis metus & mœſtitia incidit. Ratione etiam varietatis & diſſimilitudinis, Alimenta corpora noſtra afficiunt, quæ ex mente Hippocratis ſeditionem movent ob inæqualitatem; diſſimilium enim confuſio ad putredinem paratiſſima eſt; ſi enim natura gaudet ſimili, à diſſimilium mixtione abhorret: unde inter Naturam & cibum debet intercedere quædam communio, & in qualitatibus commercium. Nec minùs in Alimentis conſuetudo, quàm in cæteris rebus obſervanda eſt, cujus

*Lib. de Flatibus.*

gratiſſimum videtur menti & corpori imperium, quò fit ut propter contractam longo uſu alentis cum alito ſimilitudinem, nulla fiat noxa etiam à diſparibus. Sed præter hæc, temporis ratio ut & ordo, in Alimentis non debet prætermitti; qui enim ſæpiùs in die vel de noctu contra conſuetudinem cibis indulgent, qui ſolida languidis, vel dyſpepta eupeptis præmittunt, morboſam haud dubiè diſpoſitionem contra Naturæ intentum introducunt: verum ſumendorum tempus ratio, ars, ordinem & proportionem præſcribit, ut utraque per ſe indigẽs, altera alterius indigeret auxilio.

Nec minor debet eſſe Potus quàm Alimenti ſolidi obſervatio; ſed vini præſertim, quod Galenus tyrannum vocat, qui animæ facultatibus imperat, quibus officit, dum nimiâ ſuâ copiâ cerebrum refrigerat, & luxurioſas humiditate totum corpus adeò ſaginat, ut non tantùm hujus virtutem opprimat, ſed etiam memoriæ mentiſque aciem obtundat. Hinc videre licet quo jure Avicenna

*Lib. 4. de Sanitate tuenda.*

Ebrietas non poteſt eſſe ſalutaris.

Ebrietatem ſemel in menſe ſuadeat, quam nocere non exiſtimat, cùm poſſit virtutes animales recreare, ſomnum conciliare, & ſuperflua eliminare. Verùm quàm facilè hallucinetur Author ille, detegere non eſt difficile: nec enim admittenda eſt Ebrietas Theologicè, cùm ſit vitioſa; nec Moraliter, cùm ſit inhoneſta; nec Medicè, cùm ſit morboſa, actiones omnes animales, vitales & naturales interturbans. Medicina verò noſtra aliam viam nanciſcitur, ut functiones naturales foveat, & noxia excludat, quàm per Ebrietatem, quæ Epilepſiam, Apoplexiam, Paralyſim, aliaque detrimenta in ruinam corporis accerſit. Quod ſi aliquando Ebrietatem ad quorumdam morborum curationem contuliſſe dictum eſt, dic incertam illam eſſe curationem, quæ certo malo eruitur: dic caſum in conſilium Medici ſapientis non admitti, & Temeritatem, licèt quandoque juvet eos, quibus ratio non profuit, à noſtris Medicinæ ſacrariis jure merito ablegari.

Voluntarii Metûs exceſſus vel defectus corpori non minima accerſit detrimenta; immoderatus quippe ſpiritus inflammat, vires exhaurit, nativum calorem diſſolvit, corpus exſiccat, ſicque calidos morbos per ſe, frigidos per accidens concitat; imò ſopitos humores, eoſque tranquillos in partes nobiles præcipitat, quos Natura ſenſim & ſine ſenſu ſuæ ditioni coctionis beneficio ſubjeciſſet. Motus intempeſtivus ſua quoque habet vitia, ut qui fit ſtatim à paſtu, eô quippe alimentum ſemicoctum in habitum corporis rapitur, futura pruritus & tuberculorum materia. Defectus verò motus ſeu exercitationis intermiſſio, morborum quoque ferax eſt, nativus quippe calor per hanc marceſcit, ſpiritus langueſcunt, mollia redduntur corpora & cruditates obſtructionesque ſoboleſcunt. Quies & motus.

Cibus, labor, ſomnus ſe ſe conſequuntur; Cibus eſt carnium, labor artuum, ſomnus viſcerum. Hic ſi naturalis eſt, laboris eſt refugium, animi & corporis ſolatium: Qui Somnus & vigiliæ. *Lib. 5. Epid.*

verò ſomnus diuturnior eſt, ſpiritus obſcurat, omnibus ſenſibus torporem, menti ignaviam inducit, & deſtillationum crudorumque morborum parens eſt fœcundiſſimus. Quæ tamen incommoda diurno præſertim ſomno aſſignantur; licèt enim Hippocrates illum quandoque ſuadeat, ne corpus exſiccetur, breviſſimum tamen concedit, præſertim meridianum, qui perniciosiſſimus eſt; quia ſpiritus & caloris ad partes internas evocatione, non tantùm caput, ſed etiam totum corpus aggravatur. Vigiliæ verò longiores ſpiritus exhauriunt, ſenſus obtundunt, naturalem œconomiam interturbant, coctioni obſtant, & in morbis materiam pepaſmi expertem relinquunt.

Excreta & retenta morborum cauſæ.

Ea quæ retinentur excrementa morbos inferunt, niſi quo tempore & quâ quantitate debent excernantur; vias etenim obſtruunt, morâ ſummam putredinem nanciſcuntur, à qua diverſi morbi ſcaturiunt; ut Volvulus à ſtercore, Convulſio à ſero, Icterus à bile, & Febris à lacte.

Si

Si verò retinenda excernuntur, & immodicè evacuantur, ſive ſint utilia, ſanguinis quippe immodico profluvio vires exhauriuntur; ſive ſint inutilia; eorum enim evacuatione vires cum ſpiritibus fatiſcunt, ut in diarrhea diuturna, ſudore Anglico, in puris & aquarum hydropicorum excluſione.

Pathematum animi conſideratio non eſt hic Theologica, quatenus ab illis vitia pullulant: non eſt Moralis, quatenus voluntas cum illis operatur; ſed tantùm Medica, prout ſenſibiles alterationes concitant, & per ſpirituum caloriſq; diffuſionem vel revocationem, morbos poſſunt inducere. Cùm enim ſtatus corporis à tribus dependeat, quæ ſunt Pathematum ſuccendicula, Spiritu, Sanguine & Temperie, illa varietas in diverſis animi Pathematis innoteſcit. Irâ quippe & gaudio corpus incaleſcit per caloris & ſpiritus diffuſionem & cordis dilatationem: Metu verò & Triſtitia totum refrigeſcit, quia conſtricto corde calor & ſpiritus intus retinentur: quod in Animi pathemata.

Metu citiùs quàm in Triſtitia & violentiùs peragitur; tanto quippe impetu calor aliquando ad cor confluit, ut ibi incuneatus ſtranguletur, morſque repentina accerſatur: Ut enim *εὐθυμία* corpori temperiem & robur conciliat, ſic animi Pathematum violenta agitatio temperiem pervertit, caloremque & ſpiritum accendit; unde morborum multorum exiſtit ſeminarium.

Hinc videre licet nullum eſſe Pathema, quod in corpore non ſecus quàm in animo, ſeditionem non concitet. Riſus ipſe, grata illa paſſio, quæ videtur eſſe quaſi laxamentum à Deo indultum, ut animus curis ſaginatus remittatur, conceſſumque corpori ut vita putredini patens gratiſſimo hoc ſale condiatur; niſi tamen temperamentum adhibeas, ſal ille malè ſapit, nec adeo Riſus ſanus corpori quàm animo gratus: licet enim *ἀμάραντος καὶ ἀλεξίκακος* jure merito vocitetur, quia calorem nativum ventilat, vaporem vitæ hoſtilem diſcutit, & moderato ſpirituum affluxu & refluxu triplicem

coctionem ſatis feliciter promovet; officioſus tamen ille naturæ amicus plerumque inſidioſus factus, animo & corpori officit; multos enim lætitia conſumpſit, quos dolor non extinxerat, in quibus per riſum, effuſis confertim ſpiritibus, per imbecillioris corporis obſequium, vita curis & viribus exhauſta conficitur.

Si igitur per grata animo pathemata, etiam detrimenta corpori accedant; quid præſtare poſſumus niſi ut ea ad ſymmetriam Philoſophiæ vel Medicinæ præſidio revocemus? Illius quidem ſi ex inſtituta prava educatione aut judicii imbecillitate dependeant; hujus verò ſi ex corporis intemperie aut impuritate ſoboleſcant.

Cenſemus jure merito cauſas morborum Inſitas eſſe naturales vel præter naturam. Humidi primigenii conſumptio & elementorum diſſidium, ſunt cauſæ morborum inſitæ hominis, qui fatali quadam neceſſitatis lege corruptioni eſt obnoxius: Seminis autem, tum materni, tum paterni, imò etiam ſanguinis vitium, Cauſæ morborum inſitæ.

ſunt cauſæ morborum inſitæ præter naturam : hæc enim duo principia ſunt veluti hereditariorum morborum, qui à parentibus in filios tranſferuntur, ſeminaria ; non ſolum ratione materiæ, ſed etiam ratione ſpirituum, qui cùm partes omnes oberrent, characteres atque diſpoſitiones ſingularum partium ſecum deferunt. Nec putes morbos hæreditarios actu in illis principiis contineri, ſed tantùm potentiam quandam & diſpoſitionem, quæ diu caloris nativi vividioris beneficio ſopita, non exerit vires, ſed ejus vi imminutâ, in influentis prædominio, quod fit circa annum decimum octavum, quo tempore morbi illi hereditarii ſcaturiunt, qui eò magis ſæviunt, quò magis vires diuturno acquiſiere ſilentio.

Cauſæ morborum effectrices.

Humores in vaſis contenti recedunt à ſtatu naturali, vel quantitate vel qualitate. Hinc duplex vitium; unum quantitatis, quod Plethora dicitur, quæ nihil eſt aliud quàm omnium humorum æquabilis redundantia; & hæc duplex eſt, una ad

vaſa, dum adeo ſanguine turgeſcunt & diſtenduntur, ut ruptionis immineat periculum: Altera, ad vires Plethora dicitur, cùm ſanguis, etſi nec quantitate nec qualitate peccet, eſt tamen major ejus copia quàm vires, alia forſan ex cauſa factæ imbecillæ, poſſint ſuſtinere. Plethora & Cacochymia.

Ut autem Plethora quantitatis; ſic Cacochymia qualitatis vitium eſt; quæ fit ubi maſſa tota ſanguinea, ſervatâ juſtâ quantitate, qualitatis aliquod vitium contraxit, ut frigiditatis & caliditatis, craſſitiei & lentoris; & dividitur in Bilioſam, Pituitoſam & Melancholicam; quæ ſi contumax eſt, Cachexiam ſæpe accerſit, quæ ſolidas partes, ut Cacochymia humorales obſidet.

Perluſtra res omnes non naturales, ſi velis uniuſcujuſque Intemperiei cauſas indagare: Aër quippe frigidus per ſe, calidus ex accidenti, internum calorem diſſolvendo, frigidam intemperiem inducit. Alimenta quoque frigidâ qualitate prædita id præſtant, tum etiam quantitate, quâ calorem nativum ſuffo- Intemperiei cujuſcũque cauſæ.

cant, non ſecus quàm lignorum viridium congeries flammam: Quiete immodica ſeu otio calor torpeſcit, ut flamma marceſcit niſi agitetur. Motus etiam vehementior ſpiritus diſſipando frigidos morbos invehit. Vigiliæ juges ſpiritus diſſipant; excreta biliosa contra naturam, ut & retenta pituitoſi humoris ſaburra frigidam intemperiem procreant: quibus ſi addas Metum, Mœrorem & Triſtitiam, habebis omnes res non naturales, quæ talem intemperiem frigidam poſſunt accerſere; quod de qualibet intemperie calida, humida & ſicca per rerum earumdem cauſas poteſt obſervari.

Morborum organicorum differentiæ.

Vitiatæ Conformationis quinque numerantur differentiæ; Prima eſt in figura, quæ depravatur vel in utero ob hereditariam parentum diſpoſitionem, mutilati quippe mutilatos generant ob facultatis formatricis imbecillitatem: vel in partu, ob incongruam fœtus apprehenſionem ab Obſtetrice factam, aut ipſam fœtus craſſitiem; vel poſt partum à cauſis externis vel internis. Secun-

da differentia eſt meatuum & cavitatum, quarum vitia referuntur ad exceſſum, defectum, anguſtiam, & amplitudinem. Exceſſus fit, cùm partes quæ naturaliter ſolidæ eſſe debent, cavæ fiunt. Defectus, cùm pauciores quàm par ſit, meatus & cavitates à natura efformantur. Anguſtia à diverſis cauſis naſcitur, ſcilicet Obſtructione, Compreſſione, Contractione, Coalitu, Extenſione & Subſidentia. Tertia differentia eſt Aſperitatis & Lævitatis; Exaſperantur partes quæ læves eſſe debent, ab acribus humoribus, ſeu medicamentis, quæ ſuperficiem abradunt & ulcerant; vel etiam à pulvere & fumo. Læves redduntur partes, quæ aſperæ eſſe debent, à contrariis cauſis ut lentis & pinguibus ſuperficiem immodicè lævigantibus.

Partes circa Numerum læduntur vel exceſſu, vel defectu. Partium defectus contingit in utero ob formatricis imbecillitatem, vel ſeminis paucitatem; vel poſt ortum ob ſectionem, uſtionem & putrefactionem ab externa aut interna cauſa

contingentem : Defectus partium accidit vel in iis quæ ſe habent ſecundum materiam, ut in ſexto digito, vel in iis quæ ſunt toto genere præter Naturam, ut in vermibus & polipo; quod ad materiæ utilis vel inutilis copiam debet reduci. Partium Magnitudo exuperantiâ vel deficientia labefactatur. Augetur Magnitudo vel naturaliter ut in obeſitate, quæ à materiæ utilis copia & valida facultate pullulat; vel contra naturam à materiæ vitioſæ exuperantia; ut in Hydrope. Minuitur autem quantitas ſeu magnitudo partium inopiâ materiæ; vel facultatis imbecillitate, vel cauſis externis, ut ſectione, uſtione & aliis. Situs partium naturalis læditur, vel ob vitiatam ſtructuram nativam, ut dum oſſa à ſuis exiliunt cavitatibus ratione amplioris cavitatis, & ſuperiorum oſſium, quæ minus quàm par ſit elata ſunt, vel ob cauſam morbificam, ut in Enterocele & Epiplocele, cùm Inteſtinum vel Omentum in Scrotum decidunt; rupto Peritonæo; quod ſit vel à vulnere, caſu,

vel

vel concuſſione totius corporis.

Morborum Communium cauſas breviſſimè omnium doctiſſimus Fernelius refert ad flatum, humoremque, vel exuperantem, vel acrem, vel pungentem, & quæcumque contundunt, frangunt, vulnerant, perforant, & urunt. Morborũ communium cauſæ.

Cauſas autem particulares vulnerum, ulcerum, & fracturarum paucis licet contrahere. Cauſa vulnerum ſemper eſt externa, nempe quod inſcidit ut enſis; vel quod perfodit ut acus; vel quod mordet, ut canis; vel quod contundit, ut lapis.

Ulcerum cauſa vel eſt externa, ut acre medicamentum & pyroticum; vel interna, ut humor ſalſus, erodens & corrumpens.

Fracturarum verò cauſa, vis eſt quædam externa & magna, ut calcitrantis equi ungula. Nec putes ab interna cauſa oſſis fracturam poſſe fieri, niſi cariem oſſis, quæ propriè ulcus eſt, cum fractura confundas.

# MEDICINA ANIMI,

SEV

## *COROLLARIVM SECVNDVM*

### *Ad morbi cauſas.*

QUid amabo, Iatrophile, tam exactè morborum cauſam ſciſcitaris, quam ex dæmonibus, aſtris, elementis & ſublunaribus corporibus videris repetere? Si enim Galenum tuum conſulas, ille Cupiditatem, velut omnium morborum, præſertimque mœroris & triſtitiæ cauſam agnoſcit, & adeo inexhauſtam animi in omnibus habendi libidinem profert, ut perpetuò plura quàm uſus expoſtulet, expetere non deſinat. Erras igitur, & certè erras, ſi alibi quàm in teipſo malorum tuorum cauſam exquiras, cù mex mente Apoſtoli, *Radix omnium malorum ſit cupiditas : unde enim bella & lites in vobis? nonne hinc ex concu-*

*Lib. de cognoſ. & curand. animi affect.*

*piſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris ? Hæc eſt* quippe *planta mortis*, ut cum Auguſtino loquar, cunctis hominibus à dæmone inſita, lethalis aqua, actionum puritatem venenatâ qualitate inficiens, & omnium virtutum ſplendorem ſuis tenebris obſcurans.

Verùm, Iatrophile, tu qui in Medicinæ theoriâ morbos congenitos ſeu inſitos ſciſcitaris, qui ſuam debent iis è quibus conſtamus principiis originem, num agnoſcis vias eſſe mortis non minùs quàm malorum omnium germina ? Cùm enim ſilentio intimas primum partes ſubeant, & inſenſibili gradu ſæviant, miſerum hominem à conceptione ad feretrum dilaniant, & ſibi viam parando quaſi per cuniculos in quamlibet partem, nullam ſinunt in vita, quæ ſuam non experiatur tyrannidem. Hæc eſt certè, Iatrophile, adumbrata imago cupiditatis, quæ in anima ſedem conſtituens, intellectum tenebris offundit, voluntatem malitiâ, memoriam omnis injuſtitiæ recordatione ſaginat. Nec

magis parcit corpori quàm animæ cupiditas; quippe in lingua convitia, in oculis laſciviam & impuritatem conſtituit, in auribus errorem, in corde vindictam, in capite ſuperbiam: animi noſtri Pathemata, ut & membra, inobedientiâ: ſenſus omnes infidelitate perfudit; imò alimenta noſtra non neceſſitatis gratia exhibet, ſed voluptatis condit exceſſu; & quod peſſimum eſt, ſævior vetuſtate facta, quia vires acquirit eundo, motus noſtros, opera, actioneſque crimine maculat. Hinc *Peccati* nomine ab Auguſtino *Cupiditas* appellatur: à qua peccata omnia ſcaturiunt: *Quidquid enim* (inquit Beda) *peccatorum eſt in dictis, cogitationibus & factis, non exoritur niſi ex mala cupiditate.* Unde etiam *Lex peccati*, apud eundem D. Auguſtinum, *Cupiditas* eſt, quæ peccata vel ſuadet, vel jubet.

*In Rom. 1.*

Vides, Iatrophile, cupiditatis tuæ tyrannidem? cum hoſte hoc infenſiſſimo, ſeu morborum tuorum ſeminario, tibi dimicandum eſt quamdiu vixeris, & donec eò perveneris,

ubi mori, falli & offendi non poſſis. In iſto carcere corporis quod animæ pondus eſt, bellum eſt perpetuum, rarus triumphus: *Etenim nos geſtamus laqueum noſtrum nobiſcum, circumferimus inimicum: carnem noſtram loquor de peccato natam, de peccato nutritam, corruptam nimis de ipſa origine, ſed amplius de prava conſuetudine vitiatam.* Si ſæviſſimo huic tyranno in praxi Medicinæ aures præbeas, Iatrophile, avaritiam ſuadebit, ſpurcitiem & invidiam. Hujus ductu pauperi denegabis quod lucri ſpe concedes auxilium; imò inopem languoribus non minùs quàm egeſtatis onere preſſum averſaberis; nec manu, conſilio, opibus, remediis eum tentabis juvare, quem Deus tuæ arti non minùs quàm curæ, ſuâ providentiâ voluit committere. *Greg. in Moralib.*

Sed, Iatrophile, quis te liberabit à corpore mortis hujus? quis inexhauſtæ cupiditatis impetus eludere; quis violentum hujus motum ſedare poterit? Memineris, quæſo, Galeni ſuperiùs citati, qui voracitati ventriculi cupiditatem comparando ſub-

jungit: *Nulla alia cauſa cibo indigemus, quàm ut corpus alamus; nutrit verò corpus ſi bene concoctus fuerit, bene autem coquitur, ſi modicus.* Si ventriculo ſervias, Iatrophile, moleſtus eſt creditor, cui non quod potes, ſed quod debes perſolvendum eſt: ſi cupiditas tibi imperet, nec deſideria claudas, totus ipſe mundus vix tuam poterit adimplere libidinem. Modicus, ſi ſanus es, cibus ſufficiet; modica, ſi ſanctus es, appetes; & quantùm ipſa neceſſitas poſtulat; non copia, ſed uſus; non divitiis addendum, ſed cupiditati detrahendum. Hæc eſt quippe Sanctorum cupiditas, habere temporalia in uſu, æterna in deſiderio.

Eam igitur cupiditatem in praxi Medicinæ fuge, quam Græci φιλαργύριαν, ſeu amorem pecuniæ vocant, Medicis adeo familiarem: Si enim huic ſatisfacias, eos tantùm ægros inviſes, qui cupiditati poterunt ſatisfacere, nec unquam votis pauperum ægrotantium ſervies, qui nunquam deſideriis tuis poterunt inſervire: talia autem *deſideria multa,*

*inutilia & nociva mergunt homines in interitum & perditionem. Quæſtus eſt magnus* ( inquit Apoſtolus ) *pietas cum ſufficientia.* *Ad Tim. 6.* *Ibidem.*

Recede igitur à te, Iatrophile, ſi vis ad Deum accedere : relinque cupidinem ut invenias requiem : ſicut enim nihil foris concupiſcere, perfectum facit ; ſic ſe omnino relinquere, Deo conjungit : *Vbi non ego, ibi fælicius ego*, dicebat D. Auguſtinus ; quò enim eris te ipſo magis vacuus, eò Deo plenior ; & quò magis à creatura averſus, eò Deo propinquior : Si enim nihil habes in mundo quod concupiſcas, nihil eſt in mundo quod pertimeſcas.

# MEDICINÆ THEORETICÆ MEDVLLA.

*Phyſiologiæ Pars Tertia;*

*Quæ eſt de Symptomatibus & Symptomatum cauſis.*

SYmptoma morbum, ut umbra corpus ſequitur; ſicut enim inter cauſam & morbum nihil intercedit, ſic inter morbum & Symptoma nihil collocatur: unde legitimè definitur, Affectus præter naturam, qui morbum, velut umbra corpus, neceſſariò ſequitur. Hinc eſt quod à Medicis Symptoma ἐπιγέννημα ſeu Succedens appellatur; ut delirium, quod verbi gratiâ intemperiem calidam ſequitur; humor bilioſus ebulliens cauſa eſt intemperiei præfervidæ, hæc cauſa eſt delirii, quod Symptoma dicitur. Ne putes tamen

omnia morbis ſupervenientia eſſe Symptomata; etenim bilis porraceæ excretio de venis, quæ morbo aliquando ſupervenit bonis ægri rebus, eſt opus Naturæ, non Symptoma, niſi fortè excreti ratione Symptoma dixeris; mutatio etenim excrementi quæ Symptoma eſt, morbum ſequitur. Admittendum tamen eſt, morbos quoſdam ratione priorum affectuum quos ſequuntur, rationem habere Symptomatum: ut ἀτροφία quæ obſtructionem hepatis ſequitur. Qui tamen affectus ablato morbo quem ſequuntur, adhuc remanent, hos impropriè Symptomata appellari volumus, veluti abceſſus qui poſt febres fiunt; nam finitâ febre adhuc manent: quæ enim propriè morborum Symptomata ſunt, eoſdem ut umbra ſequuntur.

Quamvis autem multa & varia ex morborum fontibus ſcaturiant Symptomata, ad ſumma tamen tria genera poſſunt reduci; nempe ad Actionum læſionem, excretorum & retentorum Αμετρίαν, & Affectus ſimplices; ex quibus ſola læſio

Tria genera Symptomatum.

actionum ſummũ eſt & manifeſtum Symptoma, quia morbus affectus eſt præter naturam, actiones primò & per ſe lædens, interveniente autem læſa actione, duo alia prædicta Symptomatum genera ſequuntur.

Læſionis actionũ modus.

Concipere autem debemus actionem multis modis poſſe labefactari: quia læſionis duplex modus ſtatim in animo occurrit: unus cùm actio nullo modo fit, & tunc eſt actionis privatio; & apud Græcos vocatur nomine actionis addita littera αλφα, ut privatio pulſus ἀσφυξία; privatio alimenti ἀτροφία. Alter modus eſt, cùm aliter fit actio quàm Naturæ conveniat, & vocatur à Græcis nomine ſuo, ſed adjectâ ſyllabâ δυς, ut reſpiratio contra Naturam δύσπνοια; coctio aliena δυσπεψία. Hic verò ſecundus læſionis modus bipartitò dividitur: vel enim actio debilior & minor fit quàm Naturæ conveniat, & vocatur imminutio; vel vitioſè ac pravè fit, & non debiliter; & appellatur Depravatio.

Sed obſervare licet actiones auctas contra Naturam ad depravatas legi-

timè referri; ut inſatiabilem cibi & potûs appetentiam, vigilias immoderatas, & alias ejuſmodi; neque enim perficitur cùm nimis augetur actio, ſed depravatur: Imò depravatæ actioni ſubjici eas quæ ſunt à Natura alienæ, ut ſunt motus horroris, & palpitationis, qui non poſſunt ad imminutionem aut privationem, ſed tantum ad depravationem reduci.

Ille autem triplex modus obſervari poteſt in omnibus Symptomatibus ad actiones naturales, vitales & animales pertinentibus, ſumpto ab actionibus naturalibus exordio.

Nutritio aboletur dum nullo modo partes, ſaltem quoad ſenſum, nutriuntur; imminuitur, ubi non ſatis partes nutriuntur: depravatur ubi quod apponitur vitioſum eſt. Sic de Facultatibus Nutritioni inſervientibus dicendum eſt, ut de facultate Retentrice, Attractrice, Appetente, Auctrice, Procreatrice & aliis. Facultatis naturalis læſio.

Actio Facultatis Vitalis motus eſt per quem cor & arteriæ dilatantur Facultatis Vitalis læſio.

& contrahuntur. Motus hic, Pulſus eſt, qui tripliciter læditur. Ejus abolitio fit cum Pulſu privatur homo, ut in Syncope; non quòd omnino motus Pulſûs pereat, ſed quod ita exiguus eſt, ut ſenſum fugiat: imminuitur dum brevior, minor, humilior percipitur: depravatur ubi major, longior & latior.

Reſpiratio aboletur eo modo quo Pulſus, ut in Hyſtericis paſſionibus: imminuitur ubi tarda & rara eſt: depravatur ubi difficilis, & δύσπνοια dicitur, ut privatio ἄπνοια.

Actionũ animalium læſio.

Auditus aboletur ſurdis, imminuitur ſurdaſtris, depravatur iis qui ſonum aliquem externum obaudire ſibi videntur, cum tamen nullus adſit. Sic de aliis Senſibus externis, inter quos notandum eſt ſenſum Tactus inſigne quoddam Symptoma pati; dolorem ſcilicet, qui etiamſi in reliquis sẽſibus fiat, ut in viſu ob vehementiſſimum ſplendorem; in auditu ob vehementiſſimum ſonum; in tactu tamen eſt notiſſimus; cumque nullum ſenſorium ſit tactûs expers, ideo quodlibet duplici dolore pote-

rit affici; proprio ſcilicet à ſuo objecto immoderato, ut patet in exemplis adductis; & communi, à communi objecto alterante, aut illius continuitatem ſolvente, prout tactu participat.

Motus voluntarius aboletur in Paralyſi, imminuitur in Stupore, depravatur in Spaſmo ſeu convulſione. Hic triplex motus debet etiam conſiderari in ſenſibus internis, ut in Imaginationis, Ratiocinationis, & Memoriæ læſione videre eſt.

Excretorum & retentorum ἀμετρία quę ſecundum genus Symptomatum eſt, conſideratur vel ſecundum ſubſtantiam, vel qualitatem, vel quantitatem. Vitium in ſubſtantia Excreti eſt, dum quod excernitur toto genere eſt præter Naturam, ut calculus lumbrici; vel dum ſubſtantia excernenda retinetur, ut caruncula de pulmonibus; vel cum non quod excernitur, ſed ipſa illius exeretio præter Naturam exiſtit, ut ſanguis ex ore & naribus: at vitium in ſubſtantia retenti, eſt cum ea quæ retinentur, ſunt toto genere præter Na-

Symptomata ad excreta & retenta pertinentia.

turam, ut Pus, atra Bilis, Vermes?

Vitium in qualitate Excreti & Retenti, eſt cum quæ excernuntur vel retinentur, malam qualitatem ſunt adepta, ut frigoris, caloris, viſciditatis & fœtoris.

Vitium in quantitate Excreti, eſt cum excrementum copioſius quàm par eſt, effluit ſive ſit utile, ut ſemen & ſanguis menſtruus; illud per Gonorrheam, hoc in menſium immodico profluvio; ſive inutile, ut ſtercus in Diarrhæa. Vitium verò in quantitate Retenti, eſt cum ea cohibentur quæ excerni deberent, ut Sanguis in menſium ſuppreſſione.

Sympto-mata ad affectus ſimplices perti-nentia.

Dicimus affectus corporis ſimplices, qualitates eſſe ſecundas aut tertias à primis ortas, ipſi corpori præter Naturam adhærentes, quæ cum ſenſibus externis percipiantur, in Viſibiles, Audibiles, Olfactiles, Guſtabiles & Tractabiles, jure merito diſtinguntur. Ad Aſpectabiles referuntur pravi omnes colores, ſive partem inficiunt, ut nigredo linguæ in cauſo, ſive corpus univerſum, ut flavus color in Ictero. Ad Audibi-

les pertinent tinnitus aurium, dentium ſtridor, & inteſtinorum Borborigmi. Ad Olfactiles, ructus acidi & nidorulenti, totius corporis fœtor. Ad Guſtabiles, ſapores ingrati, ut oris amaror à bile, ſalſedo à ſalſa pituita. Ad Tractabiles cutis durities, laxitas, aſperitas, & linguæ ſcabrities, quarum qualitatum præternaturalium quædam à ſolis ægrotantibus, quædam à ſolis Medicis, quædam ab utriſque dignoſcuntur.

Exiſtimandum eſt omnia Symptomata, morborum eſſe effectus, ideoque morbos eſſe cauſas Symptomatum;& ſi paſſim inter Authores cauſas Symptomatum curationem poſtulare legimus, cauſarum nomine intelligendi ſunt ipſi morbi, quos velut umbra Symptomata conſequuntur; Neque tamen putes in hoc valere ſimilitudinem, ut quemadmodum umbra immediatè à corpore, ſic Symptomata ſemper à morbo immediatè producantur; ſed in hoc ſimilitudo conſiſtit, ut ſicut umbra non fit ſine corpore, ita Symptoma propriè dictum non fit ſine

Cauſæ Symptomatum.

morbo; Cum verò unum Symptoma ab altero oriri dicitur, illud alterum à morbo efficitur.

Cauſæ læſarum actionũ naturalium.

Evolvendæ autem nobis reſtant cauſæ Symptomatum eadem methodo quâ quęſitæ ſunt eorum differentiæ, tam in actionibus læſis, excretorum, retentorumque immoderatione, quàm in qualitatibus mutatis. Sic nutritionis abolitæ ſingularum corporis partiũ, cauſa eſt facultatis tum attractricis, tum coctricis, tum expultricis earum partium imbecillitas ſumma, quæ ſummam intemperiem conſequitur. Imminutæ cauſa eſt eadem, ſed multò minor. Depravatæ cauſa eſt alimenti attracti vitium, ſive in quantitate, ſive in qualitate, vel etiam partis nutriendæ ſumma intemperies. Sic de facultatum nutritioni inſervientium læſionis cauſis dicendum eſt, ut de vitalis facultatis læſionis cauſis, quæ præſertim ubi de Pulſu & Reſpiratione agemus, aperientur.

Cauſæ læſarum facultatum animalium.

Ad Senſus proprios tria concurrunt; Objectum, Facultas & Organum; quorum aliquod ſi pervertitur,

Senſus actio læditur. In Organo multæ partes ſpectandæ, quarum una princeps & primaria dicitur, cui cæteræ inſerviunt. Sic Auditus abolетur læſa audiendi facultate in origine, cùm cerebrum malè affectum eſt, eâ præſertim parte quâ nervi auditorii naſcuntur; vel in organo primario, ſcilicet Tympano, vel reliquis auriculæ partibus, quæ ſæpiùs obſtructionibus patent. Imminuitur levioribus cauſis, & depravatur flatu oberrante. Sic de reliquis Senſibus. Imaginationis autem, Ratiocinationis & Memoriæ læſiones, interdum ſenio, ſæpiùs morbo contingunt; frigidâ quippe & humidâ cerebri intemperie abolentur & imminuuntur, calidâ verò & ſiccâ depravantur.

Excrementa Naturæ moleſta, Facultas læſa & Organum malè affectum, cauſæ ſunt ἀμετρίας in Excretis & Retentis. Sic ſanguinis immodicè fluentis cauſa eſt vel ſanguinis copia Naturam gravans, & venarum orificia reſerans; vel acrimoniâ excretricem ſtimulans, vel vaſa

Cauſæ immoderationis in Excretis & Retentis.

erodens, vel tenuitate ſua per venarum tunicas reſudans. Cauſa item ſanguinis nimium fluentis eſt facultas retentrix infirma, ut expultrix valida & irritata. Organa etiam, ſeu vaſa quæ rupta, eroſa aut rariora facta ſanguinem ſinunt elabi præter Naturæ ordinem. Sic cauſæ ἀμετρίας in retentis ad eadem capita referuntur. Excrementorum autem naturalium quantitas ſupra modum augetur alimentorum copiâ, partium imbecillitate & obſtructione: minuitur ciborum parcitate & per cutis ſpiracula diſſolutione: Qualitas verò excrementorum mutatur ciborum vitio, partium intemperie, & corporis cacochymia.

Cauſæ ſimpliciũ corporis affectuũ.

Affectus ſimplices à vitioſa excrementorum qualitate ut plurimum pullulant: color naturalis ſæpiùs immutatur cacochymia & κακοχρεγία partium, ut in utroque Ictero, in quo bilis præter Naturam genita, ad cutem tanquam ad emiſſarium commune amandatur, quæ ſubjecti humoris colore inficitur.

Sonus præter naturam, inſtrumentorum anguſtiam & flatus oberrantis copiam arguit, qui ſoboles eſt imbecillioris caloris crudam materiam agitantis, ſed non diſcutientis. Fœtor & graveolentia cruditatem vel putredinem, ſæpiuſque ἀπεψίαν pro cauſa agnoſcit. Sapor alienus alicujus humoris linguam imbuentis vitio concitatur; ſic linguam felle delibutam habere ſolent Febricitantes & Icterici. Cutis verò mollities & laxitas, intemperiem humidam, ſcabrities & aſperitas ſiccam denuntiat.

# MEDICINA ANIMI,

## SEU

## *COROLLARIUM TERTIUM*

### *Ad Symptomata & Symptomatum cauſas.*

NE quæras velim ultra te, Iatrophile, Symptoma quod te perpetuo velut umbra corpus comi-

tatur : in te quippe verè invenies quod foris fruſtra exquires. Symptoma illud tibi perpetuò aſſidens, miſeria eſt, quæ etiam ἐπιγέννημα, ſeu ſuperveniens Symptoma poteſt legitimè appellari. Homo enim qui videtur eſſe miſeriæ ſacrata victima, auſpicatur à miſeriis vitam,ad quam cui patet ingreſſus, patet ad miſeriam. Hinc miſeriarum vitæ præſagus, aut earum conſcius infans, luget in ipſo luminis aut liminis aſpectu; ad fletum flens naſcitur, & mundum ſalutans, mundi experitur miſeriam; adeout qui videtur mundus in gratiam hominis aut ejus commoda conditus, ſuam felicitatem ſi quæ ſit, felle condiat, & ejuſdem felicitatis mendacio totam vitam perfundat.

Si verò Symptoma illud, ſeu miſeria, non bene ſenſibus pateat, perluſtra, Iatrophile, hominis quamlibet ætatem, ut uniuſcujuſque Symptomata pro vario ejus ſtatu innoteſcant; nulla eſt quippe quæ proprium Symptoma non aperiat. In infantia error eſt, in juventute furor,

in ætate conſiſtente mœror, in ſenectute dolor, Error in interno ſenſu, furor in externo, mœror in mente, dolor in corpore.

Quid dolor? Perpetuum eſt vitæ Symptoma, vitæ tyrannus perpetuus, quemlibet hominem ſine ulla ſexus, conditionis, ætatis diſtinctione excrucians: Dolor in infantia quem lachrymæ nuntiant; dolor in juventute quem exceſſus concitant; dolor in ætate conſiſtente quem ſtudia, curæ & tædia cumulant; dolor in ſenectute quem morborum iliades explicant. Senectus quidem ea eſt ætas, quæ videtur eſſe æternitatis imago, ætates alias in ſe complectens; eſt tamen occaſus vitæ, Præco exitum canens, & veluti peractio ætatis, tanquam fabulæ ſeu Comediæ, quæ actu quarto clauditur. Ætas inclinans animi robur & conſtantiam experitur, ſed curarum pondere & ſarcina ſæpiùs ſaginatur: Juventus ſanitatem videtur ſibi comitem adſciſcere, ſed irrequieto æſtu & motu Pathematum continuo abripitur: Adoleſcentia doloribus

videtur libera, ſed alieno ſubjecta imperio, nec libertatem noſcit, nec percipit voluptatem; adeout quam vitam auſpicamur à miſeriis, ab ea vi laborum & miſeriarum ejicimur, quaſi Symptoma hoc quod eſt vitæ noſtræ principium, ſit etiam epilogus.

Verùm, inquies, in ipſis ætatibus quædam ſunt intermedia gratiſſima; juvenem quippe voluptatum titillant lenocinia; ſenum miſeriam divitiæ leniunt, & honorum apparatus quemlibet in quolibet ſtatu demulcent. Sed, ut verum fatear, bona hæc oſtenduntur, non poſſidentur, Voluptas quidem immortalitatem pollicetur, ſed eam tantum quæ pœnarum & ſuppliciorum eſt, concedit; cum enim modum excedit, pœna eſt. Si probè noveris illius eſſentiam, nulla tibi major erit voluptas quàm voluptatis faſtidium; fugit dum grata mella fudit, & tranſacta non ſatiat. Divitiæ illuſtria & pompoſa mala ſunt, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. *Bernard. in Epiſt.* Nec ſecurius quæras ex honoribus

miſeriarum levamen: etenim aliquid fulgoris præ ſe ferre videntur, ut facilius mentem animumque his illecebris decipiant.

Cæterum ſi noveris tuam miſeriam, ejuſque cauſam, Iatrophile; ſecuram tibi parat viam illius notitia ad medelam: ſi ſenſeris miſeriam, ſenſus ille vulneris promittit ſanitatem; Vicinior eſt enim (ait Auguſtinus) immortalitati ſanitas dolentis, quam ſtupor non ſentientis: Unde ſi ſapis, agnoſces tuam in in hoc miſeriæ ſymptomate præſtantiam, agnoſcis te in fortunæ ludibrium & ærumnarum experimentum, ſimulque abjectam naſcendi, vivendi miſeram, duram moriendi neceſſitatem agnoſces. Et ſi rem totam chriſtianâ lance penſites, agnoſcès in tuis miſeriis ſummam Dei bonitatem, quæ miſeriam in hoc ſæculo momentaneam, in futuro perpetuam felicitatem ſtatuit. Sic enim providit Deus, ut in hac brevi ac exigua vita, agones eſſent & labores; in illa verò quæ æterna eſt, coronæ & præmia meritorum; ut

*In Pſal. 55.*

*Beda ſer. 18. omniũ Sanct.*

labores quidem citò finirentur, meritorum verò præmia ſine fine durarent.

Sic, Iatrophile, invenies in tuo miſeriæ morbificæ Symptomate remedium, & in acerbitate tua condimentum. Tali quippe morbo, tali pretio regnum cælorum emitur & rapitur. Sic lachrymis felicitas, doloribus gaudium, labore requies, mœrore conſolatio, contemptu gloria, voluptas vera & ſincera faſtidio, & vita æterna morte myſtica comparatur.

# MEDICINÆ

## THEORETICÆ MEDVLLA.

*Pathologiæ pars quarta ;*
*Seu Semeiotice.*

CUm Medicina ſit ex earum artium numero, quas Plato Conjecturales appellat, quia Medicus artificiali conjectura quæ in ægris abdita ſunt, conatur exequi, non mirum eſt ſi Semeioticem quæ altera pars eſt Pathologiæ, conſulit, quæ latentes morbos certis ſignis dignoſcere, eorumque eventum docet prævidere; Is quippe peritus cenſetur qui melius norit conjicere; Eſt autem σημεῖον ſeu ſignum, quidquid ſenſibus obvium nos in rei latentis & obſcuræ cognitionem deducit. Sic rubeus faciei color ſanguinem

Semeiotices neceſſitas.

Quid ſignum.

ſubeſſe teſtatur. Quod ſi ſignum rem aliquam certo perpetuoque demonſtret, τεκμήριον dicitur.

Quia verò quilibet ſtatus per ſe eſt dignoſcendus, ex triplici illius differentia tria ſignorum genera conſtituuntur: Salubria ſcilicet, quæ naturalem & ſalubrem corporis ſtatum indicant; Neutra, quæ conſtitutionem nihilo magis ſalubrem quàm inſalubrem oſtendunt; Inſalubria, quæ corporis aliquem ſtatum contra Naturam produnt, ſive quæ partem affectam, morbi ſpeciem, cauſam & morborum eventum demonſtrant, quorum quidem Inſalubrium ſignorum doctrinam hîc tantum proſequimur.

Signa diagnoſtica.

Horum autem quædam ſunt ἀναμνήστικα, ſeu commemorativa, quæ præteritum corporis ſtatum in memoriam revocant; alia διαγνώστικα, ſeu δηλωτικὰ, quæ præſentem indicant corporis conſtitutionem; quorum alia morbi ſpeciem declarant; ut Pulſus celer & frequens, febrem; alia ſedem affectam, ut pulſus durus, membranam aliquam affici;

alia morbi cauſam, ut ſigna Plethoræ & Cacochymiæ.

Rurſus Diagnoſticorum ſignorum alia ſunt propria & neceſſaria; quæ ſtatim cum morbo invadunt pariterque cum eo deſinunt, unde παθογνωμονικὰ dicuntur. Sic continuum cum acuta febre delirium Phrenitidis ſignum eſt pathognomonicum: alia verò ſunt συνεδρεύοντα, ſeu aſſidentia, quæ videlicet nec ſemper, nec neceſſariò morbis accidunt; ſed adeſſe & abeſſe poſſunt, ut in Pleuritide dolor ad jugulum aſcendens; etenim quandoque vergit ad Hypocondrium. Reliqua quæ morbum ſequuntur, nec cum eo invaſere ſigna, ἐπιγινόμενα & ἐπιφαινόμενα, id eſt ſupervenientia & poſt apparentia vocantur. Denique ſignorum Inſalubrium quædam ſunt προγνώστικα quæ morbi exitum futurum prænuntiant.

Pars affecta ſeduló debet explicari, cùm morbus ſit affectus partis: Affecta autem ſedes quinque ſignis innoteſcit. Primò, actionis læſione; nulla enim actio læditur, niſi pars Diagnoſtica ſigna partis affectæ.

quæ ipſam edit, afficiatur: unde *ἀπεψία* ventriculum; dyſuria veſicam *ἀφωνία*, voci deſtinata organa affici demonſtrant. Secundò, Excretis; ſic corpus cartilaginoſum, tuſſi redditum pulmonem; ſic granula, ſub lingua elephantiaſim; ſic chylus per vulnus effluens, ventriculum; ſic arenulæ in urina, veſicam vel renes lædi, ſemper ſignificant. Tertiò, Situ; ſic Hyppocondrii dextri tumor non ſublimis, jecur; ut ſiniſtri, lienem laborare indicat. Quartò, Doloris proprietate; etenim gravis & obtuſus dolor parenchymata aut partes hebetioris ſenſus; acutus & pungens, membranas; pulſans arteriam aut huic proximam partem; pruriginoſus cutem convellens nervos & tendines, extenſus venas, laxus & mollis carnem, contundens & profundus oſſium, membranas affectas detegit. Quintò, propriis accidentibus: ſic genæ rubeo colore præter conſuetudinem ſaturatæ, pulmonem; ructus ventriculum; tinnitus aures affici demonſtrant. Nec abs re erit ad ſigna partis

affectæ, calorem & frigus referre, qua enim parte calor inſignis fuerit aut frigus, ibi morbum ſtatuendum eſt ſobloleſcere.

Nec minus ſciſcitari debet Medicus, an morbus proprius ſit & primarius; an verò per conſenſum: Proprius erit ſi ſit perpetuus, nullaſque det inducias; ſi ſolitarius, ſi alio ceſſante perſiſtat, debitorumque remediorum adhibitione miteſcat. Per conſenſum autem fieri dignoſcitur affectus, ſi altero invaleſcente ſæviat, aut quieſcente miteſcat, idoneiſque præſidiis non concedat. Signa morborum diagnoſtica.

Morbi autem ſpecies ex iiſdem fontibus depromitur, quibus pars affecta; præterquam ex actione læſa, quæ ſemper partem affectam, at rarò morbi ſpeciem detegit: licèt Galenus ex nidorulenta δυσπεψίᾳ calidam ventriculi intemperiem: ex acida frigidam colligat. *1. De locis affectis.* Excrèta morbi ſpeciem declarant, ut fæces & urina: hæc enim venoſi generis, illæ ventriculi vitia detegunt. Situs & loci natura morbi etiam cognitionem exhibet: quidam enim

morbi certis partibus ſunt familiares, ut oculis ſuffuſio. Doloris proprietas morbi ſpeciem arguit, pulſans quippe dolor inflammationem; gravis in renibus calculum denotat. Propria quoque accidentia morbum detegunt, ut livor arquatum nigrum, linguæ nigredo & ſcabrities cauſum ſeu febrem ardentem: ad quæ propria accidentia revocantur morborum tempora, tum generalia tum particularia, periodi & typi; nam periodus eſt tempus intenſionis & remiſſionis, typus periodorum ordo. Quibus addi poſſunt ſigna pathognomonica, ut & ſigna particularia deprompta ex origine & genere, corporis habitu, temperie, ætate, ſexu, regione, victus ratione, analogiâ & vitæ conſuetudine: hæc enim ſi trutina medica examinentur, maximè ad morborum cognitionem conferunt.

Cauſarũ ſigna diagnoſtica.

Cùm morbus curari non poſſit niſi cauſa removeatur, nec removeri niſi cognoſcatur, operæ pretium eſt morbificarum cauſarum diagnoſtica ſigna detegere. Cauſa autem duplex

eſt; una evidens & exterior, ſatis cognita; altera verò interior, quæ duplex eſt: una Conjuncta, altera verò Antecedens.

Cauſam Conjunctam demonſtrat primò affectûs ſpecies: ſic febris tertiana & eryſipelas bilem denotant. Secundò, natura partium quæ certis humoribus cumulandis ſunt idoneæ, ut ventriculus & cerebrum pituitæ, hoc quidem ſeroſæ, ille craſſæ & glutinoſæ. 3. Excrementis, ſputum enim ſanguineum in Pleuritide, ſanguinem in vitio eſſe teſtatur. 4. Humore dominantur. 5. Doloris proprietate; ſi enim pungit, acrem & mordacem humorem, ſi tenſivus plenitudinem, humoris quidem, ſi cùm gravitate, flatus ſi cum levitate: ſi pulſans, ſanguinis copiam; ſi pruriginoſus, ſalſam pituitam cutem titillantem inſinuat. Sextò, colore non à cauſis externis alterato; ſi enim pars rubet, ſanguine; ſi flaveſcit, bile; ſi albeſcit, pituita; ſi livet, humore melancholico perfundetur. Septimò, juvantibus & lædentibus, nam intemperies omnis ſimilibus læditur, gaudet contrariis.

Conjunctæ cauſæ ſigna.

X iiij

Cauſæ antecedentis ſigna.

Cauſæ autem antecedentis cognitio comparatur tum per ſigna tum per cauſas ſignorum vim obtinentes, quæ deſumuntur primò ex habitu; etenim *εὐεξία* ſuccum laudabilem, *καχεξία* vitioſum, *εὐσαρκία* ſanguinis dominatum denotat. Secundò, ex faciei colore, quæ ut eſt interpres mentis & ratio quædam, interna vitia demonſtrat, cùm obtineat cutem à ſubjecta carne minime divulſam. Tertiò, eſt moribus animi, ejus enim promptitudo & tarditas, calidi vel frigidi humoris dominantis argumentum eſt. Quartò, ab Excretis; fœces enim ventriculi, inteſtinorum, canorum hepatis & lienis, urina venarum, ſudor corporis habitus index eſt. Quintò, ex facili & difficili cauſæ alicujus externæ tolerantia, ſeù à juvantibus & lædentibus; etenim morboſa quævis conſtitutio ſimilibus, multoque magis exuperantibus læditur, contrariorum moderato uſu juvatur. Sextò, ex inſomniis fit exuperantis in corpore humoris conjectatio: ſic cui caput turgidum eſt humorum ſaburrâ; is in

ſomniis ſibi videtur arctiùs premi, & ex altiſſimo loco in profundum præcipitari.

Verùm agnoſcere licet præter ſigna abſolutè dicta alias eſſe evidentes cauſas, quæ magnam quoque ſignorum vim obtinent; quos enim morbos, quaſque cauſas interiores genuerint, neceſſariò commonſtrat. Harum autem aliæ ſunt inſitæ & nobis congenitæ; intemperies quippe ab ipſis vitæ primordiis contracta, humores procreat congeneres: ſic jecur impensè calidum bilioſi humoris proventum faciens, totum corporis habitum immodicè calefacit. Aliæ ſunt adſcititiæ, ut aër ambiens, victûs ratio, animi pathemata & exercitatio, quæ humores ſibi conſentaneos, tum etiam morbos qui horum vitio ſuccedunt, nobis ingenerant.

Quia vero inter cauſas antecedentes Plethoram & Cacochymiam recenſuimus, utriuſque ſigna exhibere licet, ut per hæc non minùs quàm per cauſas efficientes utraque innoteſcat. Duplex autem Plethora Plethoræ ſigna.

eſt : una ad vaſa , altera ad vires; quarum unaquæque propria ſibi ſigna vendicat.

Plethoræ ad vaſa ſigna.

Plethoræ ad vaſa ſigna ſunt totius corporis , plenior moles vaſorum repletio ſuffocationis , mortiſque ſubitæ terrorem incutiens ; laſſitudo tenſiva, ignaviâ & motus ſegnities ſtipata ; quibus tumor , rubor , & calor ut pluriinùm accedunt : ſudoris copioſi per corporis habitum,ut & ſanguinis per nares & inteſtina profuſio. Quibus ſignis addere par eſt cauſas evidentes , quæ ejuſdem plenitudinis non minùs ſunt indices quàm cauſæ ; dum vel idoneam materiam eidem generandæ ſubminiſtrant , vel benignorum excrementorum evacuationem prohibent.

Plethoræ ad vires ſigna.

At vero Plethora quæ ad vires dicitur , aliis ſignis conſpicua eſt ; in hac enim tanta eſt actionum naturalium imbecillitas , ut vix alimenta poſſint coctionis characterem adipiſci. Hinc appetitus langueſcit cum nativi caloris ignavia : hinc ſanguis debito genio defraudatus , putredinem contrahit , & multarum crudi-

tatum ſaburra in cacochymiam faceſſit: pulſus languidus & inæqualis, vitalis facultatis oppreſſione percipitur, & tantus eſt gravitatis ſenſus in Plethora ad vires, ut etiam in inſomniis ſopiti ſenſus gravitatis imagine deludantur.

Nec minùs ſua habet ſigna Cacochymia quælibet, quàm ſuo exceſſu aut qualitatis vitio humores minùs Naturæ familiares & intemperati accerſunt, quæ tum ex cauſis, tum ab effectis ſedulo eſt exploranda. Cacochymiam linioſam hic proferre licet, tum ſuis ſignis, tum ſuis cauſis inſtructam. Cacochymiæ ſigna.

Hujus Cacochymiæ Bilioſæ ſigna quæ ſumuntur ex habitu, ſunt vaſorum amplitudo, & pilorum abundantia: corporis gracilitas, pallidus totius color, linguæ amarus ſapor, ut & caloris acrimonia. Ab excrementis ejus exceſſum argues, ſi per vomitum aut ſeceſſum eliminantur: ſi ſputum ſit flaveſcens & ſudor punctilis. Ab actionibus, ſi bilis fiat anadrome in ventriculum, quâ catulliente cardialgia ſua profert ſympto-

mata: ſi pulsûs adſit celeritas & frequentia, ut & per bilis orgaſmum ad iracundiam propenſio: ſi acies animi, corporis jactatio & alyſmus, vigiliæ, ignis & incendiorum inſomnia. Imo morborum ſpeciès naturam videtur humorum exprimere: febris quippe tertiana aut ardens, Eryſipelas aut bilioſæ puſtulæ, hujus bilioſi humoris dominium ſatis arguunt. Cacochymiæ cujuſlibet ſigna ex iiſdem fontibus licebit eruere.

Prognoſeos neceſſitas. Si Medicus mentem Hyppocratis velit aſſequi, præſagiis debet ſedulo incumbere: horum enim beneficio ægros ad obtemperandum faciles reddit, ſalutares morbos tuto aggreditur, nec deploratos attingit, tum ut artis & præſidiorum authoritatem conſervet: tum ut calumniam Medico funeſtam vitet; internecionis quippe crimine vacat qui fatalem fore morbi prædixit exitum, nec videtur eum occidiſſe quem ſors ipſa peremit.

Præſagitio autem ſeu prædictio, nihil aliud eſt quàm prænotio & ſcientia futurorum in humano cor-

pore ex manifeſtis ſignis. Cùm vero Medicus tria ex officio præſagire debeat; morbi ſcilicet exitum, an ad ſalutem, an ad perniciem : tempus quo ſolvetur morbus, cito an tardè, & ſolutionis aut mortis modum: hinc triplicia emergunt Prognoſtica, ſcilicet ea quæ ſunt ſalutis aut mortis, quæ peculiari quadam prærogativa Prognoſtica dicuntur: alia coctionis & cruditatis, quæ πέπτικα: alia critica quæ ſolutionis modum explicant. Triplicia ſigna prognoſtica.

Eventus morbi ex ejus ſpecie, magnitudine & more dignoſcitur : nam febres omnes continuæ ſunt periculoſæ; morbus omnis magnus, magnis ſtipatur ſymptomatibus, ideoque periculi plenus : mos morbi ex malignitate aut benignitate ſymptomatum innoteſcit, omnis enim malignitas periculum portendit. Cùm vero mos morbi non ita facilè in Chronicis quàm in Acutis morbis dignoſcatur, non debet temerè Medicus mortem aut ſalutem prædicere : etenim difficile eſt, primis præſertim diebus, dijudicare

quò vertetur morbus in Chronicis, tum propter naturæ & morbi æqualem in pugna victoriam, tum etiam propter ægri & aſſidentium in progreſſu morbi errorem. Morem etiam morbi ex natura ægri, parte affecta, cauſa morbifica, temperie, ætate, tempore, regione, habitu corporis, ſexu, conſuetudine, victus ratione licet conjicere : hæc enim celeriùs vel tardiùs ſalutis aut mortis diem venturum præſagiunt ; prout videlicet æger vires validiores ſortitur vel infirmiores.

Quod ad ſolutionis aut mortis modum ſpectat ; ſolvitur quilibet morbus ſubitò ſeu criſi, aut paulatim ſeu coctione : mors verò contingit oppreſſione, permutatione & reſolutione. Cæterùm collatio facultatis cum morbo totum fert prædicendi punctum : æger enim convaleſcit ſi facultas ſit morbo ſuperior : moritur verò ſi fatiſcit ejuſdem morbi tyrannide. Quia verò à Facultate actiones dependent, & excrementa corporiſque habitus immutantur, ideo ſigna prognoſtica, alia ab actio-

nibus, alia ab excrementis, alia ab habitu corporis deſumuntur.

Præſagia multa è functione naturali jure merito depromuntur: in iis præſertim morbis, quorum natura in humoris cujuſque collectione, putredine & motu conſiſtit, ſed omnium certiſſima præſagia petuntur ex coctione & cruditate: coctio enim non minùs ſecuram ſanitatem quàm judicii celeritatem demonſtrat: quia naturæ ſubigentis & humores vincentis victoriam præ ſe fert. Hinc Galenus morbum numquam ſolvi, niſi coctionis ſignis apparentibus, aſſerit, & cum ſignis coctionis interiiſſe neminem. Cruditas verò, quia naturæ imbecillitatem, vel indomitæ materiæ contumaciam & feritatem arguit, ſolet aut ἀκρισίαν, aut morbi diuturnitatem, aut recidivam procreare.

Signa prognoſtica ab actione naturali.

*Lib. 4. de Conſtit. artis. 2. de Criſib.*

Verùm Coctionis Cruditatiſque notæ præſertim in excrementis apparent, inter quæ urina recenſetur, è qua certiora quàm ex pulſu morborum ducuntur præſagia; earum enim partium quas præterfluit, affectio-

nes detegit, dum ideam humorum
Vrina. dominantium exhibet. In urina autem duo conſiderantur, liquor & contentum. In liquore conſiſtentia, quantitas, color & odor obſervari debent. Si conſiſtentia ſeu ſubſtantia conſideretur, alia eſt urina craſſa, alia tenuis. Craſſa fit vel naturâ ſuâ, vel aliarum rerum mixtione. In febrium initiis urina hæc imbecillitatis & pugnæ naturæ cum morbo argumentum eſt, niſi tenuis præceſſerit; tunc enim coctionis notas præ ſe fert. Ad Craſſam referuntur turbata, turbida & confuſa. Turbidam dices dum liquor & contenta ſimul permiſcentur, quæ ſi non poſſit calore ſecerni, confuſa urina dicitur. Tenuem urinam potus liberalior efficit, vel obſtructio viſcerum. Si tenuis ſit in acutis, non minùs cruditatem quàm facultatis coctricis imbecillitatem arguit, quæ talis perſeverans viribus effætis mortem, iiſdem validioribus abſceſſum in inferioribus partibus, in Criſi recidivam portendit.

Quantitas urinæ ſpectatur, ſi multa,

multa, ſi pauca. Pauca redditur ſi parum bibitur, ſi facultas expultrix imbecillior, ſi obſtructio in renibus, ſi aliò materia tranſlata, ſi ſudor copioſior, aut ardore febrili humiditas abſumatur. Multa verò, ſi ſudoris dejectionumque ſuppreſſio, ſi multus potus, aut colliquatio ſit totius corporis, aut facultatis retentricis imbecillitas. Color urinæ ſecundùm naturam ſubrufus eſt, qui cùm ab eo degenerat humoris dominantis ſigna exhibet; ut fœtor, qui ſi ab aſſumptis potulentis vel ulcere non ſcaturiat, ſemper putredinis eſt comes.

Urina in matula contenta ad aëris ſimilitudinem in tres regiones dividitur. In prima ſubſidet hypoſtaſis, in media appendet Eneorema ſeu ſuſpenſum, in ſumma νεφέλη, ſeu nubes. Horum contentorum optimum eſt ſedimentum ſeu hypoſtaſis, ab hac Eneorema, poſtremum nebula, quæ minùs perfectam coctionem materiæ morbificæ ob flatus admixtionem inſinuat. Contenta quippe, ut in ſanis ſunt excrementa quædam

cruda, quæ à calore non potuerunt ſeparari; ſic in ægris materiæ morbificæ ſub naturæ dominio redactæ ſunt argumenta, quæ cum urina excernitur. Hæc ſi appareant, rurſumque evaneſcant, naturæ certamen cum morbo; ſi alba ſint, lævia & æqualia, ejuſdem agentis victoriam præ ſe ferunt.

In alvi dejectionibus conſiſtentia obſervatur ut & quantitas, quæ debet eſſe aſſumptis analoga; color qui humoris dominantis conditionem ut plurimum ſequitur; odor, quia fœtor putredinis cruditatiſque ſoboles eſt; modus excernendi, ſi enim fiat ſine ſenſu, virium exolutionem ſignificat.

Sudor. Sudoris ſubſtantia conſideratur: ſi tenuis à ſero tenui, craſſus coctione, vel ſicci humoris permixtione funditur. Quantitas obſervatur, quæ vel à potu immodico dependet, vel à calore humido humores in ſudorem reſolvente. Qualitas quoque ſudoris perpenditur: ſi enim ſit criticus, debet eſſe calidus, copioſus, univerſalis, & evenire die critico,

præcedentibus ſignis coctionis ; talis enim ſudor funditus morbum , ejuſque ſymptomata tollit. Symptomaticus huic eſt oppoſitus , contingit quippe morbi ſævitiâ , nullis præcedentibus ſignis coctionis , frigidus , paucus & particularis. Modus quoque obſervatur ; ſi continuus , frequens & rarus. Qui morbi initio contingit , pravus eſt niſi morbum ſolvit ; quia nulla excretio crudo exiſtente morbo, ſalutaris. Aſſiduus pernicioſus eſt , tum ut cauſa , quia vires exolvit ; tum ut ſignum, quia facultatis imbecillitatem arguit , per halitum abeunte alimento quod ad partium inſtaurationem ingeſtum eſt. Frequens vires atterit : Paucus criticus eſſe nequit.

Morborum thoracis nuntius eſt Sputum , quod cenſetur optimum , ſi album , læve , æquale , minimeque fœtidum , quodque liberè liberaliterque educitur. Damnatur liquidum & viſcidum ; illud enim ob tenuitatem ſpirituum eludit , hoc nimis tracheiæ arteriæ adhæreſcit : Rotundum ſputum , quia Sputum.

aſſatæ Pituitæ ſuam debet originem, ſæpius eſt delirii prodromum.

Vomitus. Vomitus ſincerus & meracior ſi ſubſtantiam ſpectes, in quo humor ſeri ſui expers & ab aliis ſecretus, pernicioſus; quia vel ſummo frigore humiditatem expreſſam, vel aſſante humore exuſtam indicat: ſi ſit porraceus, niger & lividus, in malis habendus eſt, niſi porracea bilis è ventriculo potiùs ciborum corruptione & cruditate, quam à venis aſſante calore ſcaturiat; niſi quoque niger vomitus coctionis ſignis apparentibus, ſucci melancholici in ventriculum effuſionem pro cauſa agnoſcat. Deterrimus varius, plures quippe in corpore & difficiles affectiones detegit; ſolus Vomitus ſponte ortus confert, dum qualia oportet purgantur cum εὐφορία.

Lachrymæ & aurium ſordes. Lachrymæ præter voluntatem effluentes ſine cauſa manifeſta cum bonis ſignis criticã hemorrhagiam; cùm pravis ſignis mortem, tum ob exolutam oculorum facultatem retentricem, tum extenuatis caruncculis quæ lachrymas arcent.

Si dulceſcit aurium ſordes, quæ ſecundùm naturam amara eſſe ſolet, ut colliquationis argumentum eſt, lethale ſignum perhibetur.

Excrementum narium à congeſto humore pituitoſo in cerebro naſcitur: ſi tenue, quod vel frigore exprimitur, vel calore funditur, cruditatem; ſi craſſius, coctionem; ſi durum & fœtidum, calorem moramque denotat. Excrementa narium & oris.

Saliva, ſi amara ſit, bilem; ſi ſalſa, aduſtionem vel bilis commercium; ſi inſipida, pituitam; ſi acida, cruditatem pituitæ aut ſucci melancholici affuſionem denotat. Si ſordes ejuſdem pituitæ dentibus adhæreſcit, febris ſummum æſtum inſinuat, quo craſſa illa pituita exſiccatur.

Si Facultatum conſtitutio è Functionibus legitimè inducitur, Facultatis Vitalis robur aut imbecillitas facile è Pulſu comparabitur, qui peculiaris eſt actio cordis & arteriarum ad fovendum calorem deſtinata. Cùm verò Pulſus motus ſit localis, tot erunt neceſſaria ad pul- Prognoſtica à facultate vitali. Pulſus.

ſum quot ad motum ; ſcilicet movens, mobile, ſpatium in quo fit motus, tempus motûs, & tempus quietis, à quibus ſimplices exurgunt differentiæ.

Movens Facultas vitalis eſt, à qua pulſus dicitur vehemens, qui tangentis manum cum reniſu percutit, & languidus, qui tactui facilè cedit. A mobili ſeu arteriæ corpore, pulſus dicitur durus & mollis ; durities pulsûs in premendo, vehementia in impellendo conſiſtit.

A ſpatio in quo fit motus pulſus dicitur magnus & parvus, ratione ſpatii per quod tranſit & movetur arteria, ſeu magna ea ſit, ſeu parva. A tempore motus, dicitur pulſus velox ſeu celer, cùm arteria brevi tempore ſuum ſpatium percurrit : tardus cùm longo tempore. A tempore quietis dicitur frequens ſeu creber, qui brevi quiete interpoſitâ quæ eſt inter diaſtolem & ſyſtolem perficitur, & rarus qui longâ.

Hi ſunt decem Pulſus ſimplices ; quibus ſi moderatos ſeu mediocres in ſuo genere interjicias, erunt

quindecim : imò ſi modos quibus pulſus inter ſe conjunguntur addas, pulſus octoginta unum numerabis; quorum cognitionem Galenus exhibebit, qui mirificam pulſus dignoſcendi cupiditatem habuit: nec tamen ſe ſe hanc omnem artem aſſequutum fuiſſe fateri non dedignatur. In pulſibus præter hæc tria debent obſervari, Æqualitas, Proportio & Ordo. Æqualis pulſus dicitur cùm parem retinet in omnibus differentiis conſtantiam. Inæqualitas duplex eſt: vel enim fit in una parte arteriæ vel in diverſis. Si in eadem parte, pulſus vel dicitur caprizans, qui media quiete interrumpitur, ſed poſt quietem concitatior evadit; vel impariter citatus, vel δίκροτος, ſeu bis feriens. In diverſis partibus arteriæ pulſus eſt vibratus & convulſivus, ſerratus, undoſus, vermiculans & formicans : Interruptus verò dicitur, cùm arteria parte unâ digitum ferit, alterâ minimè.

*De differ. pulſuum cap. 5.*

Pulſuum æqualitas, proportio & ordo.

Ad ſyſtematicam ſeu collectivam inæqualitatem pertinent μύουροι, ſeu decurtati, qui ſunt vel deficientes,

vel reciproci: quorum alii ſunt ἀνώνυμοι, qui vel celeritate, vel tarditate, vel alio pacto inæqualitatem efficiunt. Alii propriis nominibus exprimuntur, ut Intermittens, Coincidens & Deficiens. Ordinatus pulſus dicitur, cùm in inæqualitate ſervatur idem circuituum ordo: Inordinatus contra. Pulſus qui convenientem temperamento, ſexui, ætati, tempori & regioni rithmum ſervat, εὔρυθμος ſeu concinnus & proportionatus dicitur; qui verò non ſervat, ἄρρυθμος, ſeu vitioſus & diſſonus appellatur.

Cauſæ pulſuũ. Quæ immutant pulſum cauſæ, aliæ ſunt primariæ, aliæ ſecundariæ. Primariæ, ut facultas, inſtrumentum & uſus: nam ſi facultas ſit robuſta, pulſum edit vehementem; ſi imbecilla, languidum, quem parvus & creber ſolent comitari. Mollis arteria magnum & rarum pulſum adſciſcit; dura contrario modo hunc afficit: Uſus qui calori refrigerium & ſpiritui reparationem conciliat, ſi auctus eſt caloris exceſſu, pulſum magnum efficit; qui ſi refrigerio

non

non ſufficit, celeritatem in auxilium adducit: unde ſi cum facultate robuſta uſus auctus eſt, inde pulſus vehemens, magnus, celer & frequens naſcitur: ſi verò cum facultate imbecilla pulſus eſt imminutus, pulſus languidus, parvus, & frequens editur.

Cauſæ autem ſecundariæ pulſuum ſunt res naturales, non naturales & contra naturam; temperamenta quippe, ſexus, ætas, aër, alimenta, animi pathemata & cæteras pulſuum differentias, ſi non edere, ſaltem valent immutare.

Salutem portendunt illi omnes pulſus, qui validæ facultatis ſigna præ ſe ferunt, ut vehementes (qui ſoli inter extremos ejus robur indicant) magni, celeres, dicreti, undoſi: vires autem languidas indicant pulſus parvi, languidi, intermittentes; tremuli, miuri, intercurrentes, vermiculantes & formicantes; quique ad extremitatem perveniunt: inter quos qui gravatam facultatem oſtendunt & vires humorum ſarcina opprimi teſtantur, inæquales ſunt; qui *Prognoſis ex pulſibus.*

verò facultatem ex ſeipſa debilem, æquales.

Caveas tamen ne ex recenſitis malis pulſibus mortem ſtatim prædixeris; ſæpiùs enim cauſarum externarum ſoboles ſunt, neç periculoſi cenſeri debent, niſi hos mala ſigna comitentur: unde licèt intermittentes exitium portendant juvenibus, niſi fuerint aſthmatici; ſenibus tamen & pueris nón ita exitioſi putantur. Sic de inæqualibus cenſendum, inter quos minùs ineſt periculi; ſi pulſus magni & vehementes reperiantur. Hos pertimeſce pulſus in febribus quæ temporis diuturnitate vires exhauſerunt, minus in acutis: qui eouſque decreſcunt, ut arteria tandem planè quieſcere videatur. Hos time qui in intermiſſione æquales ſunt, in malis quippe malum eſt ſervari ordinem. Verùm ne inter pulſus inordinatos & inæquales fruſtra terrearis, obſerva num ſint futuræ Criſeos præludia, quæ ſine motibus inæqualibus & inordinatis præſtari non poteſt; ideoque ſi pulſus ex parvis magni, ex languidis fortes tibi

ſint, Criſim proximam pollicentur.

Ex Functionum animalium tripli- ci differentia, ſentiente, movente, & principe, prognoſtica eliciuntur. Sentiens in externam & interiorem diſtinguitur. Externa ſenſus exteriores quinque complectitur: In acutis ſi viſus hebeſcit aut caligine ſuffunditur, nec ſit oculorum peculiaris obſervatio, perturbationem phantaſiæ ab anathymiaſi tetra, vel proximam mortem ex optici ſpiritus, & facultatis animalis reſolutione ſignificat. Attende tamen num viſus ille caliginoſus, ſit vomitus aut hæmorrhagiæ prodromus.

Prognoſtica ab animali facultate deſumpta.

Surditas acutis morbis & turbulentis ſuccedens, lethalis; extinctam enim facultatem animalem inſinuat. Attende tamen ſi fiat humoris metaſtaſi ad cerebrum; ſi enim ſit à bile, diarrhæâ, ſi à ſanguine bilioſo, hæmorrhagiâ ſolvitur.

Patulæ nimis & relaxatæ nares, ut & acutæ, lividæ, & in febre acuta frigidæ, mortiferæ ſunt; niſi ob recurſum alicujus paroxiſmi frigidæ reddantur.

Ex naribus

*Hipp. 2. prognoſt.* Corizas & ſternutamenta in morbis pulmonum præceſſiſſe aut ſubſequi, malum: in aliis verò morbis etiam exitialibus ſternutamēta ſpem ſolutionis afferunt; nihil quippe accedit commodi ad vacuationem materiæ in partibus thoracicis contentæ ex ſternutatione, quæ ſolet humorem agitatum in illas præcipitare, ſed in aliis affectibus per illam concuſſionem à ſternutatione factam, materia morbifica legitimè excutitur.

Ex lingua, voce, dentibus. Linguæ aſperæ, multùm ſiccæ, & alieno colore imbutæ, ſunt apud Hippocratem phreneticæ, ut linguæ trementes in acutis, convulſionis aut delirii prænuntiæ; in diuturnis, paralyſis aut apoplexiæ.

Stridor dentium iis qui à pueritia non ſunt aſſueti, Phrenetidem inſinuat, aut cum delirio præſenti mortem vicinam.

Vox acuta, vox ſtridens aut planctum referens, convulſionem & præcordiorum retractionem portendit; ut vox catulina oppreſſionem thoracicarum partium in diuturnis;

in acutis verò exolutionem, quam etiam ſignificat vox vulpina in Phtyſicis. Vox eliſa & effracta gravioris injuriæ prænuncia, ut vox tremula convulſionem & delirium antecedit.

Cutis arida & extenſa, in facie potiſſimum, corrupti & exſiccati corporis in acutis ſignum eſt, ſicut laxa & mollis in diuturnis periculoſa, ob diſſipationem carnium, quibus muſculorum ſpatia implebantur; ſicut fiſſa, ſquallida, aut tuberoſa cum ſquammulis decidentibus ſine febre inoſtam viſceribus naturalibus labem indicat. Torpor in febribus continuis malus eſt, ſive primi ſenſorii affectiones, ſive caloris influentis & proprii temperamenti jacturam ſine febre ſubſequatur. Ex cute & ſenſu tactus.

Sopor in febribus periculoſus eſt; nullum quippe inter ſomnum & febrem commercium; cerebrum enim oppreſſum, perfrigeratum, multaque pituitoſa ſaburra turgidum, tumidumque ſignificat. Turbulentus ſomnus, & turbulenta à ſomno excitatio, delirium aut convulſionem portendit; pravam quippe cerebri Ex ſomno & vigilia.

intemperiem, acrem exhalationem & naturæ oppreſſionem arguit.

Ex motu & decubitu. Gravitas & ſegnities corporis, facultatis moventis imbecillitatem, ut facilis ægrorum converſio ejuſdem robur oſtendit. Jactatio & Alyſmus materiam malignam circa præcordia æſtuantem, vel acrem humorem qui os ventriculi pungit & vellicat, vel virium imbecillitatem ſignificat, quæ ſub humorum fatiſcunt pondere, cujus ſignum eſt corporis una perfrigeratio. Ne tamen hallucineris, attende an jactatio corporis critica ſit, ſæpe enim repentinam mutationem bonis ægrotantis rebus præcedit.

Abſurdi omnes motus & decubitus ſunt fere omnes delirii prænuntii; illud enim ſonat indecora corporis compoſitio, & à natura aliena: omnis autem naturæ & conſuetudinis permutatio in morbis mala eſt. Vide tamen num cauſa aliqua manifeſta aut conſuetudo talem induxerit, tunc enim nihil mali prænunciat.

Ex reſpiratione. Modulus & ſpiritus ſpectantur in

dyſpnæa ſeu difficili anhelitu. Reſpiratio ratione moduli æqualis eſt vel inæqualis. Æqualis ſpatio, motu & quiete, inſtar pulſus diſcernitur; inæqualis autem fit vel in uno motu, vel pluribus, & ſæpius fit, vel per moventis facultatis imbecillitatem, organorum dolorem, compreſſionem & anguſtiam; à qu bus luctuoſa illa reſpiratio ſeu gementium ſuſpiria, quæ in acutis mala ſunt: ratione autem ſpiritus qui efflatur, reſpiratio vel æſtuoſa, vel frigida dicitur. Illa viſcerum æſtum ut arguit, ſic maximum periculum portendit; majus verò frigida, quæ in acutis mortis eſt prodroma; vel enim ab exhauſto humido primigenio pendet, vel ab extincto calore vivifico.

Delirium cerebri læſionem, ut mentis conſtantia ejuſdem integritatem oſtendit. Illud autem pertimeſcendum, eſt quod maximas evacuationes conſequitur, & exhauſtis exolutiſque viribus contingit; trium enim facultatum œconomia tunc labefactata eſt. Si delirium ſopor co- *Ex principe facultate.*

mitetur, periculoſum eſt; ſi tremor, lethale : illud enim convulſionem concitat, hoc ſiccitatis nervorum & virtutis exolutæ ſoboles eſt. Oblivio rerum & ignorantia cum rigore, ſuſpecta eſt ; frigidam quippe ſonat cerebri intemperiem & calorem vivificum exhauſtum. Nec eſt omittendum, quod in delirio ſubitanea mentis reſtitutio fere ſemper funeſta eſt, & mortis videtur præ ſe ferre vexillum. Unde tales videre licet mira prædicere, vaticinari, & in denſas futuri tenebras acuta mentis acie penetrare, adſtantes ſeriò de his admonere, & in ipſis ſeriis vaticiniis derepente occumbere, extincto jam calore nativo & extrema moliente; an ut lucerna extinctioni proxima, majores ſubitò flammas eructat: ſic anima proximam libertatem ſentiens, ſuis fere vinculis ſoluta, *σῶμα* velut *σῆμα* ſeu ſepulchrum deſerendo, ſuas functiones liberiùs obeat; an temperie gaudens ſicciore (anima quippe ſicca ſapientior) penſum feliciùs perficiat.

Ex habitu corporis.

Corpus in febribus nihil omnino

immutari, aut plus æquo tabeſcere, utrumque malum; illud enim morbi diuturnitatem, hoc verò morbi magnitudinem non minùs quàm virium imbecillitatem ſignificat. Corpus item calefieri & refrigerari viciſſim, malum: ſi enim cum exhauſtis viribus, exitium; ſi iiſdem integris morbi contumaciam arguit. Adverte tamen partes extremas refrigerari quandoque in diuturnis affectibus citra periculum: dummodo id tantùm in ſenibus & pueris contingat.

Criſis reſpicit præſertim acutos morbos, qui per ductus convenientes judicantur confertim per excluſionem materiæ morbificæ: unde legitime dicitur repentina in morbo mutatio ad ſalutem aut mortem. Hinc criſis alia perfecta, alia imperfecta dicitur; fida vel infida. Criſis.

Contingit autem Criſis duobus modis; κατὰ ἔκκρισιν, ſeu per excretionem; & κατὰ ἀπόστασιν ſeu abſceſſum & decubitum.

Excretio acuto morbo, humori tenui & calido, ut & facultati ro-

buſtæ competit; abſceſſus verò morbum chronicum, humorem frigidum craſſumque, ut & facultatis imbecillitatem ſequitur. Excretio præſtatur per vomitum, dejectionem, urinas, ſudores, & hæmorrhagiam, habentque hæ omnes evacuationes quædam ſigna, quibus, ſi legitimæ ſunt aut ſpuriæ, dignoſcitur. Nox moleſta ſæpius veræ Criſeos prænuntia, hanc evacuatio ſequitur, quæ non promiſcuè & quovis die, ſed indicatorio, conveniens ægrotantis naturæ, ætati & morbo; adeout vel curatio ſequatur perfecta, aut melior morbi tolerantia. Suſpecta etenim eſt, imò damnanda quælibet evacuatio, ſi major quàm ut vires ferre poſſint, aut ſi minor quàm ut prodeſſe poſſit; magnitudini quippe morbi debet reſpondere. Nec minùs ſuſpecta eſt, ſi per partes non totus humor eliminetur; quæ enim in morbis relinquuntur, recidivas facere ſolent. Solutio autem morbi, quæ fit per ἀπόϛασιν ſeu decubitum materiæ ab una parte ad aliam, ut ſit legitima,

debet fieri cocto non crudo humore exiſtente, in partem quæ debet eſſe mittente inferior, ignobilior; remota ab affecta parte, & humoris morbifici capax, ne fiat ſyderatio partis ob interceptionem caloris nativi & materiæ putredinem, aut palindrome ſeu refluxus materiæ morbificæ ad nobiliorem partem.

Quomodo vera Criſis à falſa eſt diſcernenda.

Ne veró decipiaris in Criſi, legitimam pro falſa admittendo, ſanitatemque pollicearis dum peſſimè res eunt ægrotantis; conſule qualitates ſeu colorem & molem partium, ut & actiones totius corporis; ſi enim turgidulæ remaneant oculorum palpebræ, ſi calor faciei lividus, niger aut citrinus poſt Criſim, ſigna hæc ſunt vel recidivæ, vel mortis prodroma. Nec minus ſuſpecta erit Criſis, ſi poſt eam tenues aut rubræ urinæ apparuerint, ſi dejectiones crudæ, hypocondriorum tenſio, ructus acidi aut nidorulenti; ſi non bene æger ingerat, digerat aut egerat: hæc enim ſoboleſcentis in alvo impuritatis ſunt argumenta, quæ recidivam minantur:

ſi caloris externi veſtigium ſeu empyreuma ex pulſu frequenti deprehendas; ſi mens nondum tranquillitatem, ſi ſenſus integritatem nondum ſunt adepti, nec facilis ſit corporis in alterutrum latus decubitus; tunc enim Criſis inſidioſa cenſetur, quia regnantis intemperiei in partibus, & ſoboleſcentium impuritatum inſinuatur imperium.

Dies Critici. Cæterùm quod ſpectat ad res Criticos, ii cenſendi ſunt in quibus plurimæ ab firmæ mutationes contingunt; quorum in morbis acutis tres differentias licet conſtituere. Prima eorum eſt qui Principes, Radicales ac verè Critici dicuntur, quibus diebus ſi Criſes contingunt, legitimæ perfectæque habendæ ſunt. Secunda differentia eorum eſt qui Indices, Internuntii ſeu Contemplabiles vocitantur; quod præ ſe ferant ſigna, futuræ Criſis die principe; ut quartus qui ſeptimi index eſt; undecimus qui decimi quarti, & decimus ſeptimus qui vigeſimo Criſim pollicetur, Tertia differentia eorum eſt qui Intercalares & Intercidentes

dicuntur, qui inter veros Criticos & indices intercidunt, quibus diebus ſi contingunt Criſes, fiunt potius humoris errhetiſmo quàm naturæ imperio; quales ſunt tertius, quintus, nonus, decimus tertius, decimus nonus: inter quos non licet recenſere primum diem licèt imparem: nullus quippe morbus eſt qui uno die ſolvi poſſit, licèt aliquando mors primo die poſſit contingere.

His diebus multi addunt Vacuos & Medicinales, ſic dictos, quòd his diebus pharmaca legitimè non poſſe adminiſtrari exiſtiment: licèt revera reus non ſit inter Medicos qui ſeptenariis venam ſecat, nec apud me ſacri diei majeſtatem lædere creditur; ſæpiùs enim Criſim non expectando, morbi ſeminarium exhaurit, & naturæ παραχὴν præſcindit.

Apage qui dierum Criticorum cauſam ad numerum cum Pythagoreis, ad aſtra benefica vel malefica cum Aſtrologis referunt; nec enim numerus, qui ſpecies eſt quantitatis, illud præſtare, nec aſtrorum vis eadem, aſpectus idem in ægris eo-

dem modo decumbentibus, diverſimodè poſſet judicare: Præſtat ideo naturam velut cauſam particularem, proximam & efficientem ſpeculari; humorem verò quemlibet, velut cauſam materialem agnoſcere. Hujus ratione modò pari die, modò impari Criſis obrepit; illius autem naturæ cauſa ſeptenariis perfectæ & legitimæ Criſes diſpenſantur; naturæ quippe inferiori lex hæc conſtituta ſuperioris imperio, his præſertim diebus moliri Criſes; quam legem inviolatam ſervat, niſi humoris laceſſatur errhetiſmo, quamvis etiam lunæ influxu, aſtrorumque concurſu ſæpiùs juvari non inficiemur.

# MEDICINA ANIMI,

SEV

*COROLLARIVM QVARTVM & ultimum:*

*In quo Salutis Mortiſque Prognoſtica exprimuntur.*

VTinam ſaperent homines, intelligerent & noviſſima providerent. Hæc certè ſalutaris eſſet animæ Medicina, Iatrophile, quæ non tantùm præſentia quæ ſalutem ſpectant, rimatur; ſed ſagaci providentiâ oculatáque prudentia noviſſima prævidet. Nulla etenim vita miſerior eſt, quàm ubi homines præteritorum obliti præſentia negligunt, & futura nec proſpiciunt nec metuunt. Sicut enim non ſatis eſt Medico ſi præteritum ægrotantis ſtatum per ſigna anamniſtica, ſi præſentem per Diagnoſtica perſcrutatur, niſi Prognoſticorum beneficio

futurum præſentiat : tum ut morborum impetus eludat, tum ut remediorum occaſionem, quæ totius curationis anima eſt, arripiat : ſic non potes ſoluti tuæ conſulere, ſi non ita ſapias, ut ea quæ ſalutis ſunt intelligas, & futura quæ vel prædeſtinationis gratiam vel reprobationis noxam poſſunt accerſere, prævideas. Fruſtra, crede mihi, homo ſapit, ſi non ſibi ſapit. Hæc eſt Medicina animi, quæ cæleſti quodam adminiculo non debet à te negligi, niſi omnino vitam neglexeris : Et hæc vera eſt animi Medicina, quæ præteritum dolori, præſens juſtitiæ, futurum providentiæ committit. Hoc verum eſt θεῖον τὶ : apud Medicos Chriſtianos, quod olim Prognoſticis tantopere in morbis commendavit Hippocrates.

Scire juſtitiá & virtutem tuam radix eſt immortalitatis. *Sap. 15. 3.*

Ex oculis.

Medicus in Prognoſi debet primùm in facie ægrotantis oculos magna animi contentione, intentaque viſionis acie intueri; ut enim Margaritarum & Gemmarum apertiores ſunt maculæ, quàm obſcurorum ſilicum; ſic oculi meliùs facultatum robur

robur vel infirmitatem quàm cæteræ partes, ratione puritatis exprimunt: unde ex Hippocrate;

1. *Oculorum nitor, eorumque alba ex nigris & lividis nitentia, ſalutare: & ſi pura brevi redduntur, ea puritas cita Criſis prænuntia.* Lib. 2. Coacar. c. 5.

Hoc eſt, ſi oculi naturâ ſuâ nitidi decorem amiſſum recipiant, & eorum candida jampridem decolorata& livore fœdata albeſcant, ſpem ſecundi eventus legitimè afferunt; immutata enim illa qualitas, omni depulsâ caligine, victricem Naturam oſtendit, & ſæpiùs Criſim ſalutarem accerſit.

Oculus, Iatrophile, in Scripturis ſacris intentionem ſonat, cujus eſt ſpeculum; unde, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum dilucidum erit.* Ut enim valet oculus, ſic & perſona; ſi intentio & mentis interpres, quæ priùs obliqua ſiniſtra, jam recta ſit: ſi quæ priùs impuræ carnis conſcia, jam pura ſit & ſin-

cera, ſalutem certam promittit: imò in mediis tenebris, in ipſo cupiditatum æſtu, citam Criſim, id eſt ſubitam in melius mentis mutationem pollicetur.

2. Coac. cap. 3. 2. *Si verò oculi lucem refugiant, aut illachrymentur, aut diſtorqueantur, ſi oculorum acies huc illuc volvatur, aut lemis obſtruatur, pravum eſt.*

Splendoris etenim averſio profligatum lumen vernaculum in his orbibus luciferis ſignificat: quod amplius conſociali non gaudet exteriori lumine, cujus priùs recreabatur appulſu. Pravum, inquam, eſt, quia injuſſæ lachrymæ ab exolutione caruncularum ſcaturiunt: quia ille tremor vel ſuccedaneus eſt delirii, vel prænuntius: quia læmæ ſunt impotentiæ naturalis facultatis veſtigia, quæ pituitam non valent Naturæ ſubjicere imperio.

Ideam habes malæ intentionis in hac Prognoſi, Iatrophile: ſi enim ſplendorem veræ doctrinę averſeris, ſi ementitas lachrymas abſque ſin-

ceræ voluntatis & cordis affectu ef-
fundis : ſi volens nolenſque à vera
via, veroque tramite motu depra-
vato deſciſcis, ſi variorum deſide-
riorum æſtu, euripoque inconſtan-
ter abriperis, nec non lemarum
caligine, hoc eſt terreſtrium volu-
ptatum ſorde aut impuritate obſide-
ris, peſtiferum eſt ; animum quippe
aberrare, exolvi, & terreſtrium re-
rum commercio ſaginari ſignificat.

3. *Lachryma ſponte fluens in gravibus morbis & malè habentibus, bonum eſt : non ſponte verò, contra.* 6. Epid.

*Lachryma cum bonis ſignis Criticam Hæmorrhagiam prænunciat.* 1. Epid.

Si lachrymæ ſint ab electione & animi affectionem exprimant, nullum à ſtatu naturali receſſum ſignificant : contrà verò ſi invito & morbi ephodo, licèt aliquando cum bonis ſignis Criticæ Hæmorrhagiæ ſint prodromæ, quia in tanta humorum ſeditione, ubi vaporis copioſi fit ad oculos anadrome, ſæpe natura per humorum excuſſionem victrix efficitur.

Lachrymæ, Iatrophile, ſunt mentis fideles nuntiæ, ejuſdemque interpretes: ſi ergo bonæ voluntatis imperio effluant, ut animæ ad Deum reverſionem, ſic Dei ad animam converſionem ſignificant: imò in tanto mentis agitatæ per varia pathemata impetu, pœnitentiam proximam, quæ animæ vera & ſincera Criſis eſt, deſignant, quæ ſæpiùs ſanguinis effuſione (cujus elixir lachrymæ ſunt) perficitur.

Coacar. lib.2.c.3. & 5.

4. *Surditas morbi acuti turbulentique ſuccedanea, malum: grave eſt item ſurditas diuturni.*

*Bombus in acutis & Echo in aure, mortiferum.*

Etenim in acutis & diuturnis affectibus, ut fit in ſurditate roboris exolutio, ſic vacatio eſt facultatis in ea parte cerebri, unde vis emanat audiendi. In Bombo verò & Echo adeſt flatulenti ſpiritus craſſities aut tenuitas, meatus auditorii anguſtia vel libertas: ut & expultricis facultatis certamen, quæ modò re-

miſsè modo validiùs operatur.

Aures portæ ſunt intellectûs, Iatrophile: ſi in acutis & diuturnis obſurdeſcant; hoc eſt, ſi vitiorum ſævitiâ, vel longâ ſcelerum fune circumplexus, monitis, precibus, increpationibus aures obturaveris: imò ſi Echo mundi in aure bombilat, ſi modò judicii metus, ſi flatus ſeu favor, ſi Bombus ſeu mundi felicitas aures obſideat, utrumque malum eſt; unum enim animi imbecillitatem, alterum inconſtantiam ſignificat.

5. *In Febre ſurditas alvum ſiſtit.* Coacar. lib. 2. c. 3.

Si in febrili incendio, auditûs ſit interceptio, alvus ſiſtitur: non quidem facultatis vitio, quæ tunc integra eſt, ſed meatus auditorii oppilatione. Bilis quippe ad aures fit excurſus, quæ priùs clyſteris inſtar naturalis, inteſtina pungendo & ſollicitando, alvum concitabat.

In animi Pathematum ephodo & impetu, Iatrophile, ſedabitur alvinæ regionis ſeditio, hoc eſt cupidi-

tatis rerum infimarum motus ſiſtetur, ſi priùs ſæculi, & voluptatum lenociniis aures obturaveris, quæ admiſſæ motum animi inordinatum concitant, eumque velut à ſua ſede dimovent.

Ex Olfactu. 6. *Si Olfactus omnino intereat, vel ita minuatur, ut ne acerrimos quidem odores, in morbis præſertim diuturnis, æger percipiat, maximum prænuntiat periculum: Si verò adeò exquiſitus ſit Olfactus, inſaniam futuram portendit.*

Hoc utique verum eſt, imminutus quippe Olfactûs nimiam humiditatis in organo luxuriem: exquiſitus verò ejuſdem exſiccationem & validam ſpiritûs agitationem ſignificat; quod obſervare licet in iis qui periodicas manias, Autumnali & Verna tempeſtate, dum maxima florum & fructuum eſt flagrantia, patiuntur.

Hinc edoceris, Iatrophile, quod ſi in te charitatis ſenſus extinctus, & virtutis honor evanuerit, nimiâ ſtagnanteque deſidiâ interiorem ſpiri-

tum ſuffocari ſignificat: quæ eò pejor eſt, quò diutiùs perſeverat: ſi verò voluptatis flagrantiam exquiſitè ſubodoràris, quot vertigines, inquietudines, inſanias in mente concitabit, non tandem in juvenili flore, ſed etiam in autumnali ætatis tempeſtate, ubi virtus debet non tantùm flores, ſed etiam fructus producere?

7. *Si quis à febre fandi ſit impotens, malo eſt loco.* Ex lingua. Coäcar. cap. 35. lib. 1.

Etenim loquendi impotentia ſeu ἀναυδία melancholicum quid ſonat; quod ſilentium invehit, vel affectæ linguæ Symptoma quæ ſæpiùs Paralyſeos aut Paraplegiæ eſt prænuntia, fœto fartoque nimiâ humoris crudi copia cerebro, qui in nervum ſeptimæ conjugationis ſeſe inſinuando, hunc irrigat & laxat.

Id habes, Iatrophile, quòd ſi in febrili cupiditatis æſtu loquendi ſentias impotentiam, id eſt ſi multis ſæculi deſideriis implicitus, ſi lentium teneas de cæleſtibu, & de iis

quæ ad ſalutem conferunt; ſi lingua Deo dicata ſit fandi impotens, ſi ſilet dum laudes ejus expromere, aut animi ſenſa de ſalute debes exprimere, funeſtum eſt; vel enim deſidiam & veluti animæ paralyſim in operibus ſignificat. Peſtiferum quid eſt in divinis, dum ſilet de Deo lingua, quæ tota debet in ejus laudibus occupari.

Ex voce. Coacar. lib.2.c.8.

8. *Quæ cum exolutione firmiter fixa ſunt, Aphoniæ funeſtæ.*
*Si quis Voce captus è poteſtate mentis exeat, morti eſt proximus.*

Etenim tales Aphoniæ materiæ vocalis paupertatem, motricis facultatis infirmitatem inſinuant, quæ tandem vocalium inſtrumentorum impotentiam, tum ad efflationem, tum ad modulationem invehunt; Quòd ſi ἄφωνος ſit fanaticus, eo morti propinquior, quò ad effætam motricem facultatem accedit per delirium cerebri offenſio.

Si vox nulla ſonet in auribus dilecti tui, Iatrophile; ſi vox tua hæreat faucibus,

faucibus, dum locus eſt Dei laudibus; tunc virtutis tuæ & charitatis vires exhauſtas eſſe ſignificat; & tunc ad extrema ventum eſt, ſi mens aberrat per quam exoluta eſt omnis agendi & movendi potentia: nullus quippe ad Deum fit acceſſus, cùm talis fit à ſtatu gratiæ receſſus.

9. *Senſus hebetudo & ejus amiſſio ſi fortè inciderint, futura denunciant Apoplectica.* Ex ſenſu Tactus. Ex Coaci

Torpor ſeu ſtupiditas futuram Paralyſim aut Apoplexiam denuntiat in illis quibus præter morem ſolitum contingit; ſic enim cerebri aut generis nervoſi impotentiam prodit, partes illas externas radiis ſuæ facultatis illuſtrare non valentis. Imaginem habes in Stupido funeſtæ reprobationis, Iatrophile, cùm enim quis verbo divino tactus, evigilat quidem ſed lentè: dum graviter ſollicitatus vel minis, vel precibus, ſtupet, timendum eſt ne tandem in Paralyſim, ſeu in omnimodam ſenſus circa divina privationem, vel Apoplecti-

cum inſultum, ſeu in extremam omnium facultatum animæ labefactationem incidat, ubi certa eſt ſalutis deſperatio: quid enim ſperari poteſt, dum omnis de Deo & ſalute ſenſus extinctus eſt?

Ex principe facultate. *Aphor. 33 lib. 2.*

10. *In quovis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contra verò ſe habere, malum.*

Illud quippe cerebri integritatem, partium quoque naturalium & vitalium firmitatem ſignificat; nec ægrum multum recedere à ſtatu naturali, ſive in ratiocinatione, ſive in appetitu & aliis ejuſmodi. Si verò delirium cerebrum ægrotantis exerceat, & in delira mente ea reſpuat quæ legitimè offeruntur, malum; tum quia cerebri ſummam intemperiem, ut & partium nutritiarum inſinuat, tum etiam quia nihil appetendo aut admittendo, totum corpus evictum concidit & marcidum contabeſcit.

Inde diſcas, Iatrophile, in morbis animi ſummam eſſe ſalutis ſpem,

ſi integra mente præpoſitis ſubditus, ad ea te conferas quæ offeruntur ; ſi præſcripta non renuas, ſi pœnam impoſitam, ſi aſperiora quævis, licèt ingrata admittas; etenim à ſtatu juſtitię non adeo te receſſiſſe exiſtimandum eſt, quin priſtinum ejuſdem gradum niſu & conatu poſſis aſſequi. Si verò remedia animi propoſita averſeris, ſummam ei inuſtam labem fatendum eſt, tunc quippe ſummum illud æternorum deſiderium tepeſcit, motus quilibet ad Deum concidit, & relaxato animi fervore, pietas, cultuſque divinus evaneſcit.

II. *In cauſa dolorifica non dolere; in ſitifera non ſitire, & circa neceſſaria errare, malum.*

Cùm enim dolere & non ſentire ſint repugnantia; ſi quis affectionem ferens dolorificam, de nullo doloris ſenſu conqueratur; ſi in febre ardenti quæ cauſam ſitienti exhibet, ſine ullo pituitæ è cerebri fonte in linguam & fauces depluvio, nullam ſitis perferat moleſtiam: ſenſum in

eo exolvi vel mentem ægrotare, debes jure merito exiſtimare.

Hoc eſt, Iatrophile, ſi in juſta flendi neceſſitate, non fleas; ſi in iniquitatis pondere, gravitatem non ſentias; ſi in cupiditatis ardore, ſi in Pathematum ephodo & æſtu, gratiæ rorem non ſitias; omnem pietatis, omnem pœnitentis animi & compunctionis ſenſum te exuiſſe, certum characterem exhibebis: etenim ex mente Divi Auguſtini: vicinior eſt immortalitati ſanitas dolentis quàm ſtupor non ſentientis.

*In Pſal. 55.*

12. *Malum eſt in malis ſervari ordinem: Conſtantia in malis, mala eſt.*

Illud videre licet in Pulſu, qui ſi malus ſit & ordinatus, peſſimus eſt, & inordinato malo debet cenſeri deterior. Febris quartana ſi æqualem in periodis & typis ſervet ordinem, deterior multò eſt & contumacior inordinatâ; quæ nullam legem, nullum in motibus ſervat ordinem.

Diſcas hinc, Iatrophile, maximum eſſe in animi affectibus repro-

bationis argumentum, cùm à vero Chriſtianæ religionis tramite deflectis, ſi æqualiter in via nequitiæ ambulans, æqualiter virtutis hoſtis vitia amplectaris; ſi voluptatum illecebris irretitus, nullo virtutis amore ductus, hanc deſerens illas ſequaris: nulla quippe ſalutis ſpes affulget, dum tanta in vitiis eſt conſtantia, ſine ullo cum malis affectibus divortio, & via omnino ad ſalutem intercipitur, cùm nulla via virtuti veritatique aperitur.

13. *Quæ pravis cum ſignis miteſcunt, aut cum ſalutaribus nihil concedunt, contumacia ſunt.* Lib. 1. Coac. cap. 51.

Etenim vereri quis ſua bona tanquam ſuſpecta debet, ſi doloris ſit expers ſine cauſa; ſi priùs ſitibundus, non ſitiat; ſi garrulus, ſileat; ſi vigil, ſoporetur; hæc enim inſidioſa eſt levatio, causâ intus remanente. Sic Medici leviter conſiderantis animum oblectant ii affectus, in quibus nulla levatio cum ſalutaribus ſignis; bonum quippe ex inte-

gra cauſa, ut malum ex minimo defectu; & apud legitimos Medicos, pluris debet eſſe unum pravum ſignum morbi, vel partis affectæ proprium, quàm multa bona communia; illud enim deſtruit, dum hæc apparenter tantùm ægrum ſublevare videntur.

Ne fidas, Iatrophile, iis animi Pathematis quæ videntur quieſcere, integro amore proprio intus remanente; fermentum quippe eſt, quo ſopito induciæ dantur; ſed quo maſſa aceſcens ſenſim & ſine ſenſu corrumpitur. Cæcus ignis eſt, qui de novo vires capeſcendo, novo pabulo, majus in animo concitat incendium: *Nemo* enim, ex mente Tertulliani, *inde ſtrui poteſt unde deſtruitur, nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur.*

*Lib. 1. de præſcript.*

Nec magis innitaris, ſi in pietatis officiis non procedas; imò ſi recedas dum ejuſdem ſigna oculis hominum exhibes; nec enim radix integra eſt, nec cor ſanum, dum tales flores fructuſque proferendo, homines ludis externa ſuperficie, iis imponendo:

ſecura verò eſt animi & corporis levatio, dum adeo exhauſta eſt morbi minera, & adeo pars interna integra, ut ejus culpâ denuò non poſſit affectus recrudeſcere; melius enim eſt vitium animi & corporis detegi, quàm mendaci umbra cooperiri; & meliora ſunt vulnera diligentis, quàm oſcula adulantis.

14. *Qui abs re nec ulla exhauſti ratione languent infirmi, mortiferè laborant. Qui crebrò & multùm ſine cauſa manifeſta exolvuntur, inopinato moriuntur.* Libro 1. Coacar. 58. Aphor. 40. l. 2.

Si vires exhauſtæ languent, nec ulla ſit oppreſſionis ſuſpicio, ſi vires ratione plenitudinis non gemunt ſub humorum ſarcina & pondere, nec ulla ſit excuſatio vigiliarum, jejunii, purgantis remedii & hæmorrhagiæ, calamitoſum eſt; etenim nectar vivificum exhauſtum, & ſpiritus corpus regentes exolvi omnino ſignificat.

Si languorem ſenſeris in ſpiritualibus vitæ ærumnis, ſi omnia ea

præſtas cum infirmitate, quæ cum zelo & fervore præſtare debes; ſi ita lentè & torpidè in via virtutum ambulas, ut nec divitiarum ſaburrâ onuſtus, nec jejuniorum inediâ exhauſtus, nec curarum vigiliis marcidus, nec evacuationis ſeu jacturæ rerum poſſeſſarum moleſtiis anxius id perferas; lethale eſt, animæque ſaluti periculoſiſſimum: ut pote maximam inuri labem cordi, animam charitatis affectu viduam, ejus facultates languidas, non ſine ratione ſignificat, cùm nulla ſit externa ratio quæ ſic poſſit ejus robur virtutemque diſſolvere. Animæ igitur ſimul & corpori ſummum impendet periculum, cùm malum in penitiores ſeu corporis, ſeu animi partes in effætis viribus penetravit.

15. *Decretoria quæ non decernunt, mala.*
*Melius eſt Naturam nihil moliri, quàm fruſtra moliri.*
*Si fiat concuſſio, nec fiat excuſſio; malum.*

Illud verum in praxi Medica ob-

ſervatur; ſi enim Natura fruſtra tentat eliminare quod impurum & noxium eſt, impotentiam ſuam detegit, vel humoris ſoboleſcentis imperium & victoriam: unde quæ ſuperſunt morbi reliquiæ, quia non ſunt naturæ conſociales ut aſſimilari poſſint; per irritum conatum ſuam aperiunt malitiam: contrà verò quæ victricis Naturæ certamine criticè ſuſcepta ſunt, funditùs morbum tollunt & Symptomata.

In morbis animi, Iatrophile, ſi natura ſola moliatur vitia quæque reſecare, noxia quæque excludere, & ſine gratiæ ſubſidio peccatorum ſordes eluere, id certè præſtat in animo quod humorum impetus in corpore ſine naturæ auxilio; movet etenim, ſed non promovet; concutit, ſed non excutit; vel ſaltem excutiendo inquietudinem, alyſmum, perturbationem, aliaque ejuſmodi pathemata concitat; meliuſque tunc fuiſſet naturam quieviſſe, quàm fruſtra hæc agitaſſe ſine majori ope & præſidio: Sed dum victrix gratia id ſuſcipit, placidè & quietè mentem

liberat, & naturæ impotentiam exhibens, animi procellas reginæ inſtar ſedando, εὐθυμίαν, veramque libertatem conciliat. Ille, crede mihi, vitiosè laborat, qui naturæ victoriam commendat vitium ſimulando excutere; cùm ejuſdem ruinam debet jure merito gratiæ imperio & triumpho concedere.

Coacar. 16. *In febribus Acriſiæ diuturnitatis quidem ſunt cauſæ, non tamen funeſtæ.*

Certum eſt febres quæ carent pepaſmo ſeu coctione materiæ morbificæ, nec habent erethxiſmum ſeu proritationem, Criſim nullam habere; hanc enim efficere nequit cruda incoctaque materia: nec tamen inde morbus ſemper funeſtus eſt; poteſt quippe materia morbifica ſenſim & ſine ſenſu naturæ ſeſe exerentis imperio edomari.

Id expetendum eſt, Iatrophile, ut qui delictorum ſuorum catenâ vinctus eſt, Criſi Pœnitentiæ, ſeu repentinâ evacuatione materiæ noxiæ ſaluti ſuæ conſulat divinæ gratiæ po-

teſtate, quæ in peccati tyrannide id ſolet præſtare quod natura in morborum inſultibus. Nec tamen ſemper lethale eſt ſi Gratiæ vis Criſim illam ſalutarem & divinam ſubitò non moliatur; cùm enim Dei providentia, ſcientia ſit ut dirigens, voluntas ut imperans, potentia ut exequens, quis novit ſenſum Domini, aut quis novit punctum dirigentis Dei, imperantis & exequentis in contumaci & obſtinata peccantis voluntate? Satis eſt ſi noverit Deum convenienti loco & tempore ſalutarem & congruentem exhibere medicinam. *Hugo de ſancto Victore.*

17. *Egregiè colorata facies & vultuoſa, peſtifera.*

Si facies rubeo colore ſaturata per ſanguinem fixum & ſtabilem non refluum, ut in verecundia; ſi facies ſit vultuoſa, ſeu aſpectu terribilis ex atræ bilis dominatu, necadſit ſuſpicio criticæ hæmorrhagiæ, utraque calamitoſa eſt; illa quippe cerebri incendium, hæc præter de-

lirium aliquid convulſifici ſignificat.

Hoc eſt, Iatrophile, ſi animus cujus facies imago eſt & interpres, idola virtutum pro virtutibus exhibeat, ſi colorem pietatis ſine pietate comite, ſi illius umbram ſine interiori corde præ ſe ferat, mortiferum eſt: cùm enim eò devenit animus ut omnes poſſit ementitarum virtutum fuco decipere, deſperatio certa ſalutis eſt; nec enim criticæ hæmorrhagiæ, ſeu pœnitentiæ locus eſſe poteſt, quia ſumma mentis à Deo alienatio, ejuſdemque motus depravatus & convulſificus indicatur. Unde in vita ſpirituali nihil eſt magis peſtiferum quàm anima bene colorata ſine virtute; humilitas ſine deſpectione, patientia ſine tribulatione, obedientia ſine coarctatione, paupertas ſine defectu, virtus ſine labore, & pœnitentia ſine dolore. Ut enim ſummum ac divinum eſt, (inquit Auguſtinus) neminem decipere, ſic ultimum & extremum vitium eſt, quemlibet decipere.

*Serm.* 3.

18. *Oportet autem facilè converti ægrum & alacrem eſſe in exurgendo. Gravitas autem totius corporis, manuum item ac pedum, peſtifera.* Coacar. lib.3.2.

Optimum ſanitatis ſignum eſt, expedita ægri converſio quæ ſponte fit, & alacritas in exurgendo; maximam quippe vim moventis potentiæ, & ſolidi corporis quod movetur promptiſſimam obedientiam indicat: ſi verò pigra adſit corporis converſio, ejuſdemque plumbea moles, & veluti immobilis ſarcina, effætas vires & exhauſtas ſignificat; eoque magis ſi illa gravitas in manibus, pedibuſque percipitur, tunc enim ſtandi, tangendi & progrediendi omnem potentiam & facultatem ereptam eſſe demonſtrat.

Peccare, Iatrophile, aliquid humani eſt, οὐδέποτε γὰρ ἁμαρτάνειν ἐς' ὑπὲρ ἄνθρωπον: facilis eſt naturæ lapſus & facilis à Deo ad creaturam converſio; ſed ſi promptus ſit à creatura ad Deum reditus, ſi expedita ſit peccantis in ſe reverſi ad Deum conver-

ſio, tunc & Gratiæ moventis victoriam, & docilem animi qui movetur ſubmiſſionem teſtatur.

Si verò nec precibus cedens nec minis, gravis plumbeuſque in exurgendo videatur, animum tunc terreſtrium ſarcina onuſtum, & ſub inutili corporis ſaburra gementem conjicere licet: quòd eò magis calamitoſum cenſeri debet, ſi animus manuum pedumque laboret gravitate, hoc eſt ſi affectione non minùs quàm actione ſit deſtitutus (utrumque enim in animo pedes & manus exprimunt.) In hoc quippe ſtatu nihil invenire licet quod eum ad cæleſtia poſſit erigere.

1. Coac. 141. 19. *Cauſus rigore ſuperveniente ſolvitur.* *Febris ardens ſeu Cauſus à bulliente bullanteque bile in vaſis majoribus corde vicinis genitus, ſolet ſæpe ſolvi rigore repente ſemelque coorto, hoc enim repentino motu concuſſione factâ humoris morbifici, fit libera, liberaliſq; ejuſdem per ſudorem aut aliam ſalutarem evacuationem excuſſio.*

Id experiri licet in morbis animi;

ſi enim anima terreſtrium deſiderio irretita, ardore, æſtuque pathematum ebulliens, rigore vel horrore judicii Dei convellatur, quàm ſalutaris fit febrilis incendii curatio, quàm libera bonorum per eleemoſynam evacuatio, quàm ſalutifera aquarum per lachrymas eductio, quæ criſim legitimam ſeu judicium miſericordiæ ſalutiſque accerſit! Hic horror quippe errorem mentis curat, & copioſam exhibet virtutum fœturam.

20. *In febribus non intermittentibus ſi partes exteriores ſint frigidæ & interiores urantur, & ſitim habeant, lethale.* Aphor. 48. Sect. 4.

Signum eſt certiſſimum periculoſæ inflammationis conceptæ in partibus internis, ſi exteriores algent & interiores ardent; hæ enim ſic inflammatæ cucurbitularum inſtar calorem ſic ſugunt, ſic alliciunt, ut concentratus partibus externis nullam ſuggerat influentiam; quod ſatis inexhauſta ſitis arguit, quæ fer-

voris ardoriſque interni particeps; maximum in tali comitatu portendit periculum.

Si in pathematum æſtu, Iatrophile, ſi in iræ vehementis febrili incendio, cor interius ſic ardeat in rerum terreſtrium ſiti inexplebili, ut frigus ſeu pigrities in operibus externis percipiatur; illud ſummum eſt reprobationis argumentum, & ſaluti animæ omnino adverſum: nulla quippe tunc ſit actio cui frigiditas contraria eſt, qua motum ſeu euripum cordis ſiſtere & componere liceat, adeout cor interius ſuo nectare ſeu Gratiæ rore exhauſtum, ſine virtutum activarum auxilio, febrium ſeu pathematum ardore æſtuans, horum ſit in ſua impotentia ſubjectum imperio.

Aphor. 56. Sect. 4. 21. *Febricitanti ſi ſudor crebro accidit, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus & multam ſignificat humiditatem.*

Sudor (ut alia quævis evacuatio) non debet cenſeri criticus, qui funditùs

ditùs nec morbum nec ejus ſeminarium deſtruit; ſi enim crebrò contingat, febris foco non extinćto, eademque febre non deficiente, longitudinem morbi portendit; multæ quippe humiditatis fit ſoboles, quæ caloris etiam vigentis imperio non ita cito poteſt exhauriri, ideoque multam crudioris, humidioriſque materiæ copiam coacervari ſignificat.

Inſidioſam credas illam pœnitentiam, Iatrophile, quæ ſolet, vel delićtorum confeſſione, vel bonorum reſtitutióne, vel alia evacuatione abſolvi, ſi ejus miniſterio animæ integra non concilietur ſanitas: fermentum quippe remanet, ſeu peccati fomes, quo novus peccatorum cumulus & novus delićtorum fit acervus. Illa quippe non eſt ſecura nec integra animæ ſanitas, cùm in mente recrudeſcit id quo nova poteſt fieri malorum ſoboles & fœtura. Quid enim prodeſt ſi Deus qui dedit voluntatem pœnitendi, non addat virtutem continendi?

Aphor. 69. Sect. 7. 22. *Si quis febricitanti cibum præbeat, quem ſano exhibet, valenti robur, laboranti morbus eſt.*

Ut diverſa eſt ægrotantis & ſani diſpoſitio, diverſus quoque cibus utrique debet ſuppeditari: febricitanti quippe ſi alimentum porrigas quod ſano exhibetur, febrem ſinet invaleſcere, dum natura ejus coctionem ſuſcipiet, vel incocto relicto novam febris fœturam, novum fermentum morbi relinquet; adeout quod ſano medicina eſt, laboranti majorem ægritudinem poſſit acceſſere.

Ideam habes, Iatrophile, Juſti & Peccatoris: ſi enim eadem conſilia, auxilia, ut alimenta, conferas Peccanti & Juſto, vix proderunt; hic enim admittet quod ille reſpuet, & quæ robur & vires Juſto, eadem ut indigeſta Peccatori dabunt nauſeam. Ideoque tam diverſus utriuſque ſtatus debet ſic attendi, ut uni vitiorum eliminandorum cura, alteri virtutum ſemita ſtatuatur; Juſto ali-

mentum ſolidum ut fortiori, alteri lac ut debiliori, diverſa ratione concedatur.

23. *Lethale eſt etiam quodcumque ſine ſenſu exit.* Coacar. 59. l. 4.

Quid enim, amabo, ſperari poteſt ſanitatis in ægro, in quo ſenſus earum partium per quas excretio fit, evictus, exolutus eſt, cujus exoluti ſignum eſt, dum ſine juſſu ægri fit dejectio. Minùs fateor ineſſe periculi, dum id contingit mente aberrante, nec ſpecierum repræſentationi intendente; aberrans quidem mens in priſtinum ſtatum reſtitui poteſt, extincta ſentiendi potentia reviviſcere non poteſt.

Nullum mihi certius argumentum videtur reprobationis, Iatrophile, in vitæ ſpiritualis affectibus, quam dum nullus pietatis, nullus devotionis in omnibus actibus ſenſus percipitur. Lethale eſt videre animæ pœnitentis ſtatum ſine contritionis ſenſu, lachrymas effuſas ſine cordis affectu, eleemoſynam erogatam ſine

charitatis æſtu, eóque magis periculoſum, ſi nulla ſit mentis aberrantis agitatio, hoc eſt ſi nulla ſit phantaſiæ organis corporeis imperantis ſuſpicio, quæ ſiccitates concitat, rorem Gratiæ ſubtrahens; tunc enim in corde charitatem emortuam nullo pacto reviviſcentem arguit. Hujus mentis eſt Divus Ambroſius dum ait: Cibus mentis ſermo Dei eſt, & quaſi acceptus cibus ſtomacho languente rejicitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non retinetur: quiſquis autem alimenta non retinet, hujus profecto vita deſperatur.

*De Noe & Arca.*

Coacar. 9. lib. 4.

24. *Quidquid immerito coctum eſt, in acuto malum.*

Admittendum neceſſariò eſt in Medicina diverſos eſſe coctionis gradus, quorum alii ſunt inchoati, manifeſti, & perfecti. Unde ſi derepente appareat perfecta materiæ morbificæ coctio, hanc inſidioſam eſſe putandum eſt; quin potiùs talem prodire indomitâ feritate humoris,

minimèque ſubjectam naturæ imperio.

Nec minùs exiſtimes illud verum in affectibus ſpiritualibus ; ſi enim in pathematum ephodo , ſi in varia paſſionum agitatione , repentina contingat morum mutatio, nec fiat per gradus quoſdam, id ſæpiùs mentes hominum non minùs quàm oculos fallere exiſtimandum eſt ; ille enim deſipit qui ſe derepente putat ad culmen ſapientiæ perveniſſe, & immeritò ſapit qui ſibi tantùm & mundo ſapit ; rarò autem Deo ſapit, niſi per gradus quoſdam ad talem ſcientiam conſcenderit. Scio equidem victricem illam Gratiam divinam moras non ferre, & inexpectatâ coctione ſeu præparatione, occultâ vi volentes - nolentes animos trahere ; ſed certè vis illa magnetica eſt omnibus hominibus invia , ſoli Deo pervia , quam nos Deus mirari voluit ſcire noluit.

25. *Perexigua ſtillicidia , mala.* Coacar: 61, lib, 5.

Exiſtimandum eſt nihil paucum

eſſe criticum ; & inter paucum ſemper eſt obſervatum, fuiſſe ægrotantibus peſtiferum, dum ſanguis ſtillatim manat è naribus ; ſi enim tale perſeveret ſtillicidium, nec liberalioris hæmorrhagiæ ſit prodromum, ſignificat vel naturam fatiſcentem, vel malignorum humorum, quos natura regere non poteſt, dominatum : quæ duo difficilia & terrifica debent à Medicis exiſtimari.

Sic arguas, Iatrophile, vel tuam ignaviam, vel tuam agenti Gratiæ reſiſtentiam ; quæ è vitiorum dominantium petitur contumaciâ, ſi tam lento greſſu pœnitentiæ viam ingrederis, quæ certè perexiguum ſtillicidium eſt, nullo pacto animam juvans ; vel leviuſculus animæ motus, ſed inanis ; qui ſi ſic perſeveret, eò erit calamitoſior quòd vires animæ exhauriat. Hunc animi motum qui citò concidit, ignem ſtipulæ inhærentem diceres, qui in glaciem decidens ſubitò extinguitur, nec facilè denuò accenditur.

26. *Crebri ex lumbis horrores cum cita caloris viciſſitudine, calamitoſi.* Coacar. 8. lib.

*Frequens in febris aſſiduitate rigor, fractis jam viribus ægri, peſtiferus.* Coacar. 9. lib. 1.

Ne mireris ſi qui è lumbis ſcaturiunt horrores, ſint calamitoſi; cùm enim poſteriora ſint anterioribus magis nervoſa, lumbi qui ſunt poſteriores partes corporis, ad ſentiendum & frigus admittendum videntur aptiores; quarum affectio cùm ſit prava membranarum affectarum ratione, eò deterior cenſeri debet caloris & frigoris viciſſitudine; etenim caloris inimici vi, partes hæ accenduntur, & nativi paupertate refrigerantur. Sic ſentias de frequenti rigore, fractis jam viribus, qui cùm per ſe hoſtilis ſit, partes concutiens & convellens, eò magis in malis ducendus eſt, quòd ad ejus ſævitiam invalidæ & exhauſtæ vires acceſſerint.

Sic conclamatum de ſalute exiſti-

mes, Iatrophile, cùm poſterioris ſtatus horrore, vel poſtremi judicii rigore, modò frigidus, modò calidus videris; ea quippe ſunt tabeſcentis animæ ſymptomata, quæ modò vitiorum æſtu abripitur, modò languentis Gratiæ frigore contabeſcit. Sed ſi ad ea tantus acceſſerit animæ languor, ut nulla ſint ejus pœnitentis, nulla immutationis indicia, quid inde ſperari poteſt, cùm omnis exhauſta ſit animæ potentia, quâ ſe ſe ſolebat ad virtutes amplectendas erigere? Unde dicere licet cum Divo Auguſtino: *Fornicatur anima cùm avertitur abs te, & quærit extra te ea quæ pura & liquida non invenit, niſi cùm redit ad te.*

*Libro 2. Confeſſ. cap. 6.*

Coacar. 66, lib. 1.

27. *Quibus jam deſperatis, levis tremor incidit & vomitio æruginoſa, mors prope eſt.*

Si poſt morbi terrifici ephodon à partium principum incendio & oppreſſione, vomitio æruginoſa contingat, quæ malignæ cacochymiæ particeps eſt; ut & levis tremor qui manuum

manuum ſubſultu & geſticulatione, feſtucarum collectione, & dentium colliſione ſtipatus eſt, quia tunc exhauſta eſt omnis naturæ vis & collapſa ſunt omnia vitæ præſidia, conclamatum eſt, nullaque ampliùs ſanitatis aura affulget.

Habes, Iatrophile, deſperatæ ſalutis ideam; ſi enim dum in extremis poſita eſt animæ ſalus, vomitio æruginoſa incidit, id eſt peccatorum falſa confeſſio, & quaſi delictorum per os evacuatio; ſi tremor tunc temporis ægrotantem concutit, ſeu horror poſtremi judicii pœnitentis animum convellit, cujus quidem horroris ſigna exhibet, dum linguâ tremulâ, dum manuum motione, verbis inter dentes colliſis & inanibus ſignis, quaſi qui feſtucas legeret, ſibi, Deoque videtur ſatisfacere: ſed certè ſi res ad amuſſim penſitetur, ſalutis certa eſt deſperatio; morſque æterna vicina: etenim ſunt hæc animæ palpitantis & trementis pathemata; ſunt fucata falſaque ex horrore petita auxilia, non animæ verè pœnitentis, non cordis interio-

*Auguſt. ſerm. 17. ſerm. 57.* ris argumenta certiſſima. *Hæc*, crede mihi, *pœnitentia quæ à tali infirmo præſtatur, infirma eſt: Quomodo enim,* (ait Auguſtinus) *pœnitentiam agere poteſt, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt?* *Cyprian. ad Anton.* *Nec enim tales ægros talia præſtare delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit.*

Ex Coac. prænot. cap. 5. 28. *Facies ex tumeſcente reſidens, vox item blandior, tum ſpiritus rarior & facilior, remiſſionem perfectam fore oſtendunt.*

Si poſt Criſim facies, quæ priùs humoris appulſu tumeſcebat, in ſeipſa reſidet, excretionem verè criticam inſinuat: ſi vox antè vitiata, quæque raucis bombis ſtridebat; nimio fuliginis & catharri perenni affluxu, blandior ſit & mollior, ſedato cordis æſtu & liberioribus pulmonibus: ſi ſpiritus quoque ſit rarior & facilior, conciliatâ libertate thoracicis inſtrumentis per Phlegmonem ſedatam, tunc vacationem omnium horum ſymptomatum per

veram remiſſionem expectare licet.

Colliges, Iatrophile, ex his ſignis vera tuæ converſionis ſeu mutationis argumenta. Si enim animus, cujus facies imago & interpres eſt, priùs ſucceſſibus tumidus, & ſuperbo divitiarum & honorum faſtu elatus, in ſe reverſus per Chriſtianæ humilitatis gratiam ſubſidet; ſi vox ſit blandior, quæ priùs rauca; hoc eſt ſi lenis eſt animus in pauperes; ſi eos vox blanda alliciat, quos priùs in medio vitiorum æſtu, furore quodam ablegabat; & ſi ſpiritus qui priùs pathematum ardore erat frequentior, jam ſit facilior & pacatior, veræ converſionis ideam præ ſe fert; ea enim ſigna terrifica, quæ animum carni & immundo ſpiritui mancipatum ſignificabant, jam blandiora, non ſpiritum ſuperbum, ſed ſupernum; non animum vitiis ſordidum, ſed virtutibus illuſtratum inſinuant.

Coacar. 28. lib. 2. 29. *Palpitatio ventris in Febre inſaniam facit, indeque cietur hæmorrhagia horrifera.*

Pulſatio ægro moleſta eſt & dolorifica in ventre inferiori, propter anguſtiam & compreſſionem vaſorum ubi olim liberè pulſus micare ſolebat; tuncque fit excurſus ſeu anadrome atræ bilis, cujus acres ſunt morſus in febris moleſtiis, ad cerebrum per ejus alterationem, quæ inſaniam accerſit, indeque hæmorrhagia denunciatur, quæ cùm habeat horrorem conſectarium, funeſta eſt ægrotanti, eumque in extremum adducit vitæ periculum.

Hoc eſt, Iatrophile, ſi tremor horrendi Dei judicii ventrem tantùm animæ, ſeu inferiorem ejus partem obſideat, tantum abeſt ut mutationem animi & morum inducat, quin potiùs inquietudinem, agitationem & ſaluti inimicam inſaniam accerſat; imò inde concitatur horrifera hæmorrhagia, ſeu funeſta pœnitentia, quæ in animo quandam

concuſſionem excitat, ſed non delictorum excuſſionem promovet; unde non tantùm inutilis cenſenda eſt, ſed horrenda, quæ tandem animam in exitium præcipitat. Sed velim notes, Iatrophile, quod ſecus accidit in pulſatione arteriarum temporalium, quàm in palpitatione ventris; illa enim ſalutaris hæmorrhagiæ nuntia eſt, non horriferæ: hoc eſt, ſi ſuperni animi motus ſincerus ſit, inde pœnitentia ſalutaris emergit; quæ animam feliciter Deo conjungit.

30. *Omne ſputum quod non ſanat dolorem, pravum eſt: quod autem ſanat, beneficum.* Coacar. 16. l. 2.

Licèt ſputum liberè & liberaliter eductum, pepaſmi particeps aut capax, eâ ſpecie ſit bonum: eâ tamen de cauſa funeſtum erit, quod dolorem non ſedat, neque enim tuta nec ſecura eſt levatio, quæ pravis cum ſignis affertur: ſuſpicio quippe tunc eſt rheumatis concitati, perennis ad partem affectam appulſus, quia per

legitimam anacatharſim debet comparari doloris vacuitas ex ſævitie, ut lateris redintegratio ab egreſſione materiæ. Secus verò judicandum de iis ſputis quæ materiæ morbificæ excluſione dolorem ſanant: tunc enim ſperabilis, firma & ſtabilis cenſenda eſt illa εὐφορία, ſeu morbum ferendi alacritas, cùm nulla remaneant inflammationis veſtigia, nulla materia quæ ſit tenuitate fugax, aut glutinosè contumax.

Habes in hac Prognoſi, Iatrophile, ementitæ, veræque pœnitentiæ ſpeciem & ideam: ſi enim ſputum quod ex ore & pectore educis per animæ pœnitentis affectum, nec vitiatæ conſuetudinis jugum tollat, nec iniquitatis labem deleat, aut iniquæ mentis habitum auferat, licet ſpecie videatur laudabilis illa mutatio, prava tamen & lethalis eſt, quia tunc mali fermenti ſuſpicio eſt, quô noxia delictorum ſaburra poteſt identidem ſoboleſcere. Legitimam verò pœnitentiam credes, dum tanta eſt ejus beneficio εὐθυμία, ut nulla calamitas commo-

vere, nullus dolor agitare; tanta εὐφορία, ut nullus tumultus poſſit ſtatum hunc immutare. Nec certè falsò eſt credita illa pœnitentia, quæ noxia quæque excludit, nihil relinquens quod poſſit cor Deo conſecratum ad creaturas divertere.

# SANITAS CORPORIS ET ANIMI.

SI Deus curam hujus mundi commiſit Intelligentiis, certum eſt Microcoſmi intelligentiam commiſiſſe Medicis, qui ideo habendi ſunt ut Angelorum collegæ, continuò hominum ſanitati incubantes; quæ adeo neceſſaria exiſtimari debet, ut niſi ſalubriter vivamus, vix apud Deum homineſque proficere valeamus. Verùm ut animus ex Deo, ſic ex Platonis ſententia corpus omnino pendere videtur ex animo; adeout niſi animus bene valuerit, corpus bene valere non poſſit; unde nefas eſſet (ſi Marcilio Ficino credimus) ſolum animi ſervum, id eſt corpus, colere; animum verò

*Libro de vita ſana.*

corporis dominum regemque negligere; ſic ex utriuſque incolumitate, animum ſanum in corpore ſano quærere & indagare licet, quod officium Medicina noſtra præſtare videtur: abſolvit enim quodammodo peccatorum pœnam, dum curat animum, morboſque ſæpe è peccatis naſcentes; & ſi victus error plures annos poteſt præripere quos artis Medicæ beneficium addit, ſic multos morbos poteſt εὐθυμία arcere, quos animi pathemata æſtu vehementi poſſunt concitare.

Utrumque autem debitus ſex rerum non naturalium uſus adimplet, qui ſi legitimus eſt, hæ cauſæ vel optimum corporis ſtatum retinent, vel vitioſum emendant, vel deteriorem invehunt. Quod ſi ſic non cenſes, ſenties earum neceſſitatem, quæ corpus animumque neceſſariò immutant, quales ſunt aër, cibus & potus, motus & quies, excreta & retenta, ſomnus & vigilia, animi pathemata.

In Aëre noſces ſubſtantiam & Aër.

temperiem, Iatrophile; qui enim ſubſtantiâ purus eſt Aër, tenuis, amœnus, nullis conſpurcatus inquinamentis, nullo vapore aut caligine obſitus, naturis omnibus & ætatibus ſalubris eſt: qui verò craſſus, caliginoſus minimeque difflatus, qui lanienarum, cadaverum, ſpecuum, ſtagnorum, cloacarum, olerum putidorum vapore maligno inquinatus, aut qui peſtilentiæ ſeminaria contraxit, naturis omnibus eò magis infenſus eſt, quò nulla eſt via ad corpus, quæ tali aëri ſit invia: ſicque humores ſpirituſque inficiendo, ſingulis noxia putredinis peſtilentiæque ſeminaria accerſit. Si verò Aëris ſubſtantiâ reficimur, ejuſdem juvamur temperie, quæ non tantùm temperatis naturis convenit, ſed etiam intemperatis contrariis, adeout in morbo calido aër frigidus, in frigido humido aër calidus & ſiccus ſanantis cauſæ rationem obtineat, & proportione factâ ad cauſam morbificam, ejuſdem cauſæ curantis naturam ſortiatur. Illud tamen per-

petuò obſervandum eſt, quod montanus Aër frigidis & humidis temperamentis, ut ſenibus & hyeme; qui verò declivis eſt, calidis & ſiccis, ut juvenibus; æſtate & tempeſtate calida & ſicca (habita tamen ratione proportionis & graduum) magis competere videatur.

Si ſpirituoſæ ſubſtantiæ fluor aëre reficitur, ſolidioris & humidioris effluxus Cibo & Potu reſarcitur. Cùm autem corporis ſubſtantia in quantitate continuò & qualitate mutetur, utriuſque fatale damnum alimentum ita reparat, ut ſua ſubſtantia materiæ fluxum, ſua qualitate ejuſdem alterationem emendet. Si primas alimentorum qualitates obſerves, ut earum ſimmetria ad nutritionem commodior, ſic exceſſus ad alterationem promptior. In qualitate autem alimentorum maximam cautelam afferes, in quantitate ſæpiùs ducem naturam ſequi conſentaneum duces, ſi præſertim ex cibis utilitatem potiùs quàm voluptatem ſpectandam eſſe exiſtimes. Varia quippe edulia & obſoniorum Cibus & Potus.

artes fines voluptatis longiùs promovendo, utilitatem vitiant, quorum ſumendorum tempus natura ut plurimùm præſcribit; ars verò ordinem quem temperiei, ætati, tempori & conſuetudini accommodare, ratio ſuadebit. Talis ſit tibi vini uſus, ut moderatus vires virtuteſque coporis recreet, mentemque reddat ad ſtudia faciliorem & expeditiorem, qui ſecùs facit, hanc obſcurat facultatem, corpuſque arthritide, ſtupori & paralyſi devovet.

vinum liquidus eſt rationis & ſapientiæ tumulus.

Motus & quies. *Lib. 6. Epid.*

Si ſanitatis punctum ſit, ex mente Hippocratis non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem; videtur hoc ultimum integram fere dietæ legem adimplere; ut enim ignavia corpus hebetat, ſic labor firmat; illa maturam ſenectutem, hic longam reddit adoleſcentiam; illa humorum ſarcinam cumulat, hic congeſtam diſſipat: illam verò exercitationem ſalutarem dices, quâ animus cum corpore ſolvitur, quâ calor vegetior factus perfectæ coctioni, expeditæ diſtributioni, validæ

*Celſ. c. 1. lib. 1.*

nutritioni, ut & facili ſuperfluorum excretioni incumbit. Ea tamen eſt inter motum & quietem differentia, ut ſi motus cibum præcedat, quies excipere debeat. Exercitationi ſuccedanea eſt frictio, quæ, ſi credas Hippocrati, corpus durat ſi vehementiſſima eſt, mollit ſi levis eſt, minuit ſi multa, implet ſi modica eſt.

Nec inutilia exiſtimes tam varia frictionum, exercitationumque genera; eò enim inſtituta fuerunt ut natura ad ſuperfluorum eliminationem ſollicitetur, ne retenta hanc ſua ſaburra aut ſarcina opprimant. Excreta &Retenta.

In prima coctione per alvum noxia ſegregat, quia ventris ſegnities omnium eſt confuſio; in ſecunda per veſicam; in tertia verò cùm ſint triplicia excrementa, liquida, ſicca & vaporoſa, commodè per corporis habitum excluduntur.

Somnum admitte tanquam officioſum amicum & primum naturæ parentem; nocturnum quidem, non diurnum; quia lumen, calor & Somnus & vigilia.

ſtrepitus legitimo ſomno refragantur, ut tenebræ & ſilentium fovent. Ille ſi placidus ſit, ſopito ſenſu dolorem, laſſitudinemque fallit, animi mœſtitiam obliterat, & coctione quam promovet, ſpiritus labore & vigiliis exhauſtos mirificè reficit, Meridianus contrà, niſi conſuetus, damna multa naturæ quam fallit his commodis, contraria accerſit. Quod ſi ſomnus ex caloris innati motu ad interiora concoquit, vigilia ex ejuſdem motu ad exteriora per halitum degerit, & ſuperflua quæque muſculorum ope foras feliciter excludit: in eo tamen calamitoſa eſt vigilia, ſi immodica, quod ſiccis naturis multùm adverſa jejunis, & ſatiatis nocet; illos enim nimis attenuat, in his alimentorum coctioni officit.

Animi Pathemata. *Lib. de longa vita.*

Mores, Iatrophile, non minùs quàm humores, Medicinæ præſidio componendi, ſi non tædet cæli convexa tueri. Sicut enim, ex mente Marcilii Ficini, prudens in omni victu parcitas, vitam nobis longam inchoat, conſtans quoque in curis

ſubeundis parcitas vitam producit; & ſi temperantia in aëre & victu conſervata ad ſanam confert corporis vitam, ad mentem ſanam non minùs conſervata in affectibus conducet temperantia. Quid enim prodeſt tenuari corpus abſtinentiâ, ſi animus intumeſcat ſuperbiâ? Quid virtutis habet vinum non bibere, & irâ atque odio inebriari? Unde nullum tibi debet eſſe niſi moderatum cum vino, eoque lymphato, commercium, & nullam eſſe majorem peſtem ſanitatis ſalutiſque, ebrietate exiſtimandum eſt; quæ ſi per accidens morbos corporis aliquando ſolvit, ſæpiùs ſæviores eidem corpori animoque accerſit.

Motus violentus corpus plurimum atterit, quia magnum ſenſibile deſtruit; ut magnum intelligibile mentem perficit; ſed Venus adeo inimica eſt corpori & menti, ut nihil poſſit eſſe magis adverſum: Unde ſi Hippocrates ejus immoderatum uſum Morbum Sacrum credidit accerſere; id dictum eſt, quia mentem quæ ſacra eſt, percutit, &

hâc forſan ratione natura nullum ſenſum longiùs quàm tactum ab intelligentia ſegregavit. Hinc Religioſo vel Studioſo nihil eſſe poteſt Venere peſtilentius, quæ naſcituris prodeſt, non natis. Hæc enim Venus in circumferentia voluptatem, quæ ſpirituum eſca quædam eſt; conſtituit; Saturnus verò in centro, unde hic per ſuam voluptatem volatum ſpiritûs noſtri aucupando ad intima, illa ad externa revocat; eo diſſidio quod in terris potiùs quàm in cælis (ubi amor eſt) inter Planetas dictos facilè eſt reperire. Ut enim flamma difflata ventis, aut contra compreſſa cineribus extinguitur, ſic animus noſter vel œſtro Veneris celeriter diſſipatur, vel ſenſim ſpiritu Saturnio ſuffocatur. Hinc priſci ſuas Muſas virgines non ſine jure, Veſtam, Minervam & Dianam numquam Cupidinis tactas ignibus decantârunt, ut ſcias maximâ abſtinentiâ, ſtudio & exercitio ejus vim & impetum edomari.

*Marcilius Ficinus de longa vita.*

Ut corpus ſolvas, Iatrophile, id curas ut ſuperflua excrementa vel

arte

arte vel natura excludas; his enim retentis corpus inutili ſarcina onuſtum fatiſcit: ſic curas inutiles amputa, ut animum cures, & libertate quadam conciliatà, pacem fœduſque tecum ineas; niſi enim mentem ſollicitudinibus & anxietatibus ſolveris, funera tot erunt ea fœdera quæ cum iis habebis.

Somnum tibi natura indidit, ut ſilentii & tenebrarum ope exhauſtos vigiliis ſpiritus reſtituas; vigilias item induxit, ut labore partes roborans, congeſtam per ſomnum humorum ſaburram expedias. Quietem talem ſic animæ concilia, Iatrophile, ut in ſilentio & ſolitudine animam tuam poſſideas; ſic fuge cum Arſenio, ut taceas & quieſcas: ſic tamen vigila ut mentem tuam roborando, noxiis pathematum inſultibus expedias.

Verùm, Iatrophile, ſi corporeum ſpiritum ſeu aërem ſic curas, ut ſit tenuis, lucidus, procul à craſſioribus vaporibus, cloacis & ſterquiliniis diſſitus; quantò diligentiùs incorporeum ſpiritum ſeu mentem & in-

tellectum colere debes, qui ſolus veritatem poteſt capere incorpoream? Sed id cura ut voluptatum cœno, honorum vaporibus, & divitiarum anxietatibus mens libera, divinam veritatem amplectatur, quam inveſtigare, quam ſciſcitari non alio potes modo, quàm oculus lumen Solis conſpicit. Sed quia, ex mente Platonis, Viſus nihil uſquam viſibile perſpicit, niſi in ipſo ſummi viſibilis ſeu Solis ſplendore, ita numquam cogites humanum intellectum intelligibile quidquam apprehendere, niſi in ipſo intelligibilis ſummi, hoc eſt Dei lumine nobis ſemper & ubique præſente, in cujus lumine videbimus lumen; quo lumine vigente omnia ſplendent, quo abſente omnia quæque obtenebreſcunt. Sed ſicut oculis purioribus nitidiſque per pungentia remedia redditis, lumen inſpicientibus ſplendor continuò infunditur coloribus figuriſque rerum abunde refulgens: ſic mens noſtra ſuâ caligine, ſuis tenebris expedita, ſuis pathematis libera, dum divinam

*Marcil. Ficin. de vitâ longa.*

veritatem primùm inſpicit, ejuſdem veritatis radium admittit, qui divini ſui principii ſeu luminis ideam referens, rationes ipſas quas in ſe complectitur, intellectui priùs invias, tam feliciter exhibet, ut non tantùm intellectum lumine, ſed etiam voluntatem maximo gaudio circumfundat.

Hæc eſt vera quam debes quærere εὐθυμία, Iatrophile; hoc eſt ſummum animæ in corpore mortis hujus condimentum, ſolumque in tantis ſui ergaſtuli miſeriis perfugium. Hæc eſt veritas, quæ latè accipienda eſt, quia ampliſſima ſunt ampliſſimè poſſidenda; licet enim ſit in orbe ſtricto, lata eſt; licet in anguſto mundo, auguſta eſt. Nec ſinas te anguſtiam adeo premere in veritatis latiſſima via, ut animum tuum ampliſſimum in anguſtum redigas; anguſtiſſima viciſſim terra, exiſtentiam habet in mundo quàm minimam, ſed veritatis cælò nihil latius, in quo lati ab anguſtia procul debemus vivere læti; læti, inquam, ne ſollicitudo præſentium rapiat nobis præ-

# ANACEPHALEOSIS
## MEDVLLÆ
## MEDICINÆ THEORETICÆ,
## SEV
## MEDICINÆ CORPORIS ET ANIMI.

HÆc ſunt, Iatrophile, ultima deficientis meæ vitæ monumenta; hæc ſunt quæ relinquo vitæ prætereuntis veſtigia; ſed ſenectutis meæ reliquiæ exiguæ, ſeu exequiæ & mortis meæ primitiæ; cùm majora, morti proxima hæc ætas mundo valedicens non patiatur. Sentio equidem in membris meis legem quæ me continuò exitûs mei admonet; vanam eam Medicinam exiſtimans, quæ vel *ἀθανασίαν*, vel *ἀγηρασίαν* ſperaſſet vel promitteret. Omnes quippe eodem cogimur, ocyus, ſerius, inſtatque mihi

nati : obſurdeſcunt filiæ carminis, ſeu vox quondam ſatis canora deficit : floret amygdalus, quia caput annorum nive obſitum eſt : ſurgo ad cantum volucris, per vigilias ab exhauſto nectare vivifico : diſſipatur capparis ſeu appetentia, & producitur funiculus argenteus, ſeu ſpina dorſalis medullam continens laxatur & contrahitur : unde factus ſum velut hemyciclus, cujus Horizon terra eſt, ſoloque citimus, ſolum corpore, cælum mente, breviſpirus ſpirare, ſperareque mihi infirmo conceſſum eſt.

Hæc eſt, Iatrophile, totius vitæ meæ, totius Medicinæ noſtræ corporis & animi Scena & Anacephaleoſis; huic Medicinæ per quadraginta fere annos ſedulò incumbo, cujus legitimum ſtudium cenſeri debet, quia ejus beneficio ſanitas omnium bonorum optimum, amiſſa acquiritur, & præſens conſervatur; ideoque Medicina à ſummo Creatore condita & ſtabilita eſt, quam jubet ipſe honore colere, quamque vetat deſpicere. Sed utinam mentis

Medicinæ Sacrariis doctrinam & experientiam, quam alia ſcientia vix poteſt ſuppeditare, & animum inſtruat benefica hæc mater, non minùs ſalutis quàm ſanitatis fideliſſima cuſtos Medicina. Objiciat oculis quos vidit velut de fulmine tactos Apoplexiæ ſæviente Paroxiſmo, & in ipſis amicorum colloquiis de medio vitæ ſublatos; proponat quos vidit præcipiti angina correptos, arctatis faucibus de nocte, ad lucem vix ſpiritum traxiſſe; & auræ venenatæ afflatum cordis arcem, & ſanguinis guttulam animalis ſpiritus promptuaria obſidentem, ſæpiùs & derepente tumulum aperuiſſe. Ut ſcias eum diem eſſe præveniendum qui prævenire conſuevit, hunc ſcopulum eſſe cavendum in quem mens ſana, licèt in corpore ſano, non debet impingere, ne minimè differenda differantur. Qui enim Deus, (teſtante Auguſtino) converſioni tuæ indulgentiam promiſit, dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit. Mors mihi ſeni in januis, tibi adoleſcenti in inſidiis: mors quippe *In Pſal. 101.*

telo improviſo cunctatores ſolet confodere, qui diu moliuntur quod jamjam deberent peragere. Sic igitur monitus Medicinæ tuæ experientiis, ſic prudens talis nitaris eſſe in vita, qualis optas inveniri in morte: ſic in omni actu, in omni opere te teneas, quaſi ex improviſo, mortis ſpiculo deberes feriri: ſicque vivas ut numquam te imparatum mors inveniat, nec adeo Medicinæ confidas, ut te ex ipſiuſmet citiſſimæ mortis poſſit injuriis & inſultibus defendere. Inſanus es, Iatrophile, & in Medicina Theoretica parum verſatus, ſi promittis tibi diem craſtinum, cùm nullum diem habeas hic ſecurum; ſi poſt multos annos, unum tantùm decretorium annum putes, cùm omnem horam decretoriam habeas.

Scias igitur te Medicinæ prognoſi, te Hippocratis Coacarum beneficio, te Prorheticorum auxilio non poſſe certò, nec horam, nec diem mortis prævidere. Quædam, fateor, tibi ſigna ſunt in morbis criſis prodroma, quibus hanc brevi futuram præ-

noſcis : ſed adeo ſepulta ſunt in futuri tenebris ea ſymptomata quæ mortem accerſunt, ut nos ſæpiùs ante prognoſim ſoleant confodere; ultimus quippe latet dies, ut obſerventur omnes dies. *Auguſt.*

Sed ut magis tibi ipſi Medicinæ præſidio innoteſcas, repetas, quæſo, ex ipſa Medicina, prima nativitatis tuæ principia; ſciaſque ejus ope laſſatam Naturam reo pondere, te prius tumulatum quàm natum, in mundum excuſſiſſe; nec tantùm te carcerem naturalem uteri aperuiſſe, ſed & ſecundinam veluti aviti ſceleris pœnam funibus & chorda umbilicali vinctum obſtetricante Natura diſrupiſſe. Verùm debes hîc ingreſsûs & exitûs tui analogiam ediſcere: quilibet enim cùm ſua habeat involucra, non potes viam ad vitam detegere, niſi tuis bonorum, poſſeſſionumque ſecundinis ſeu involucris te te expedias. Hæc fert humana quam ſortitus es conditio; natura in utroque partu id quodam jure à te expoſtulat, ut ſi in primo ſecundinam exueris, in altero qui

ad felicitatem gradus eſt, ſarcinaı
corporis, quiſquiliarum ſeu poſſe
ſionis ſaburram deponere non p
geat. Inquilinum igitur te cogita
Iatrophile, non poſſeſſorem, lc
cata tibi domus hæc eſt, non donat
nec veram potes ſperare libertateı
niſi terreſtris domus habitation
tuæ diſſolvatur; quòd ædificationeı
*Paul. ad Cor. 2.* habemus ex Deo domum non m
nufactam, æternam in cælis: q
etenim ſumus in hoc tabernaculc
ingemiſcimus gravati. Non pige
igitur tui involucri ſaginam deſ
rendo; novum vitæ genus, ſed fel
ciſſimum inchoare; non pigeat tr
butum ſeu vectigal quod ab on
nibus pendendum eſt, liberè per
dere; non pigeat illa puerilia & lı
dicra quæ nos fallunt lenocinandc
cum veris & immutabilibus bon
commutare; non pigeat terreſtr
cæleſtibus, ſordida puris, momen
tanea æternis bonis compenſare: &
ideo ſi ſapias, Iatrophile, erunt tib
temporalia in uſu, æterna in deſi
derio; ſciens delitias cæleſtes illuı
avidius expectare, qui terræ illuſc

riis bonis ſe novit abdicare. Si hæc animo perpendas, non alia tibi erit cura corporis quàm vilis mancipii; nec mortem aliter inſpicies, quàm digreſſum mortalium ex incommodo hoſpitio, & ſi cælum ſpirare, ſperareque noveris, ad hæc futilia non trepidabis.

Verum, Iatrophile, ſi Medicinæ doctrinam aptimè noveris, non tantum per ejus ſuffragia ex tuis principiis mortis neceſſitatem noſces, ſed etiam familiaritatem quandam cum mortis larva contrahes: neceſſitatem mortis diſces ex iis tenuibus, & fluxilibus filis quibus homo texitur, ex ea elementorum lege, quibus homo concinnatus, horum diſſidio & divortio mortis legibus addicitur. Quis enim ſibi non moriendum crederet, qui mortis cauſam in ſinu geſtans, perpetuam ſui diſſolutionem per agentium contrariorum pugnam percipit? quis ſe invulnerabilem crederet, qui internorum quatuor hoſtium qualitatibus quaſi pugionibus obſitus, mortem quolibet momento præſentem

horum injuria debet obſervare? I
eſt quòd nectare vivifico ſeu hu
do radicali ſpem foveas ; non
enim tanta ejus puritas, ut diu
nam vitam ſpondere; nec tanta
jus olei copia ut lucernam diu 1
trire; nec adeo conſtans calor (
meſticus, ut depopulanti devor
tiq; extraneo poſſit diutius obſiſte
Moriemur igitur, Iatrophile,q
quâ lege orimur, morimur; q
cum naſcimur, mortis ſumus ſtipe
diarii, ejuſque tributo ſubjicim
Moriemur, quia ſicut per ſtillicidia
arenas clepſidra exhauritur, ſic vi
noſtræ principia defluunt & exha
ſta evaneſcunt. Moriemur quia
cet arti noſtræ Deus diuturnitate
& incolumitatem vitæ commiſeri
hæc tamen ſuis præſidiis, nec tripl
cis ſubſtantiæ effluxum, nec excr
mentorum proventum cauſarum e
ternarum injuriâ, & internaru
culpâ poteſt ullo modo arcere: ur
de cum ortus noſtri unica ſit via
multiplicem interitûs fatali & inev
tabili lege miſer homo experiri co
gitur.

Sed, quæſo, ſi per Medicinæ praxim mortis non minus quàm morborum hoſtis & oſor es, quo pacto cum morte commercium, cum ejus horrore familiaritatem poteris inire, Iatrophile? Sic tamen eſt, ſi enim in hujus ſæculi triſtem cadaveroſamque faciem datum tibi eſt oculos conjicere, & tot morborum undas procellaſque, quas ſibi invicem ſuccedentes Medicina jubet contemplari; cognoſces utique ejus auxilio, intra hujus aëris convexa perpetuam tibi ſedem non fuiſſe à ſummo mundi Conditore conſtitutam; ſed per tot morborum agmina, tot vitæ mortalis moras anxias, te ad feliciorem præparari; eumque diem expectari qui ſorte in meliorem mutata hinc ereptos, fœcundiſſimo æternitatis fonti, è quo ſcaturiunt, nos reddat felices. Nec tantum id felicitatis Medicina tibi concedit, ſed etiam majora præſtat; quæ enim te Medicina vocat ad morbum propulſandum, te vocat ad lachrymas; & quæ te ad ægrotantis lectum, ad lethum ſeu lethi memoriam te

continuò ſollicitat : ſi enim me
eſt, ex mente Sapientis, ire ad
mum luctûs, quàm ad domum c
vivii, quia præſens dolor & lach
mæ ſunt miſeriaum monitores fi
liſſimi, quis Medicus mortem n
cicurabit, ſi non præſentem, ſ
ſaltem ejus in ægrotantibus præl
dia & ſigna prodroma, ſeu prænu
tia conſpiciat? Cogita ſæpius oc
los quos vides in ægris marcidos
languentes & concavos; faciem ex
hauſtam & horrendiſſimam, ejuſ-
que colorem lividum & plumbeum,
cutem circa frontem duram & ari-
dam, labia pallida, reſoluta & pen-
dentia, marcidas roſas & livida ma-
larum lilia, in quibus mortis legis
imaginem. Cogita mentem quæ in
florido ſanitatis ſtatu, cæli ſcandebat
convexa, in corporis morientis angu-
ſtiis, carpendis lanarum flocculis, fe-
ſtucis legendis, futilibuſque aliis ſine
mente occupatam. Numne ſunt hæc
miſeriæ humanæ, mortaliſque con-
ditionis argumenta, quæ ſæpius me-
moriæ tuæ impreſſa, mortis vicinæ
te admonent? Nec enim dubitare
potes

Forma morien-di cauſa naſcendi eſt. *Tertul.*

potes id tibi poſſe citò contingere, quod vicino, noto & familiari tam citò & improvisò evenit.

Non inutiliter igitur in Medicina vixeris, ſi ex vitæ principiis, & iis quæ Medicina rimatur, moriendi neceſſitatem, ſi mortis contemptum ex mortis familiaritate didiceris: nec enim inutiliter vixit ille qui bene moritur; nec parum in Medicinæ ſtudio profeceris, ſi ex ſecundinis quas mundum ſalutans ſine mente diſrupiſti, jam mentis compos bona fortunæ exuas; ad partum vitæ melioris te accingas; ſi ex tot præcipitâtis funeribus, ex tot morborum violentorum inſultibus tibi Medicinæ ope cognitis, nuſquam tibi eſſe in ſalutis ratione differendum exiſtimes.

Diſce igitur ex Medicina vivere, diſce mori. Diſce ſic vivere, ut aliquando bene vivas: Diſce ſic mori, ut prius mortuus vitiis, ad veram vitæ æternitatem viam tibi pares ſecuriſſimam. Nec enim mors tam vitæ finis eſt, quàm ad vitam tranſitus: nec tantum via eſt, imò

janua ad vitam & æternitatem.
ce vivere, Iatrophile, ut diſcas
ri: ut enim quæ diurnis agita
curis, recurſant nocturnis; ſi
quæ in vitæ luce inſuevimus,
deunt in mortis tenebris, adeo
tutem addiſcere in vita bonum
ut ejus non obliti, in ea moriar
Diſce igitur mori, cùm tibi r
lucrum ſit, neque enim quidq
moriendo perdere credas, qui
vere deſinendo omnia adipiſc
Diſce mori qui vitam verè dil
hæc enim vita præſens eſt, u
turam quæ verè vita eſt, per n
tem anhelare non deſinas. D
mori & reddere quod à te e
titur; minimum etenim eſt quo
citate æterna compenſatur. D
mori, ſeu è regione morient
diſcedere, cuique enim poſitus
hic terminus; ſicque diſcedere
minis natura eſt, non pœna. D
mori, ſeu peregrinari deſine
redux in patriam, in domum;
exul verè vivere incipias. Diſce
ri, ſeu mortem timere deſine;
vas quippe horrere puerile, &

peritiæ argumentum eſt ; ſi enim infantes & puſillanimi mortem non reformidant, eam tibi ratio ſecuritatem præſtet, ad quam videtur ratio perducere.

Mortem formidabilem error hominum facit, non natura; nec timendum illud credo quod nos à tremendo liberat. Diſce mori, mortem reputans non cruciatum, ſed ærumnarum requiem, cum mortalium mala poſſit diſſolvere, eoque omnium jacturam reparare:non enim formidabilis eſt mors aut labor, ſed laboris aut mortis timor. Diſce mori non invitus, cum ad hoc natus ſis ; ſi enim miſer es in vita, miſeriarum exitum ; ſi felix, felicitatis verè nuntium ; ſi juſtus, præmium ; quiſquis es veræ, tranquillitatis portum invenies.

Tandem, Iatrophile, diſce vivere ex Medicinæ ſtudio, quæ adjectio & detractio eſt, neceſſarias animæ tuæ virtutes conciliando, vitia quæque reſecando, omniaque menti noxia, Deo ingrata expungendo : Diſce vivere non vitâ car-

nis & ſanguinis, ſed vitâ interic
ſpiritus ſecundum novi Nomotl
læ legem, nòn litterâ, ſed ſpiri
caro enim non prodeſt quidqua
ſpiritus eſt qui vivificat, & qui
vita Chriſtiana hoc ſpiritu ducit
abſconditum in eo manna nanſc
citur.

Diſce, fili mi ſub nomine Iatr
phili, doctrinam, & non neglige
diſciplinam Domini: Nam (ut ve
*Ad Hebr. cap. 12.* bis Divi Pauli te alloquar) *Pat*
*quidem carnis noſtræ eruditores hab*
*mus, & reverebamur eos, non mu*
*magis obtemperabimus patri ſpiritu*
*& vivemus*? Si igitur hucuſque Hi
pocratem & Galenum priorum ſa
culorum Medicinæ principes
magiſtros habuimus, ſi hucuſq
eorum præcepta, doctrinam, expe
rientiam & ſpiritum colere & ve
nerari decuit, licèt corpori tantum
ſua conſecrarint remedia; quidni ad
mittemus ſupremum illum Medico
rum Medicum cæleſtem Chriſtum
qui novæ legis & novi ſpiritus af
flatu adeo nos erudivit, ut jam cæ
leſtia ſupernaque ſapere non terre
n

na carnaliaque deceat! *Videte* igitur (ut eadem verba Divi Pauli afferam) *ne recuſetis loquentem, ſi enim illi non effugerunt recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur, multò magis nos qui de cælis loquentem nobis audivimus.* *Ad Heb. cap. 12.*

Sed ut bene ſummum illum de cælis Medicum loquentem audias, Iatrophile, contemplare, quæſo, ſcientiæ quam profiteris præſtantiam & majeſtatem. Memini Divum Auguſtinum obſervare idem verbum ſignificare apud Hebræos Gigantem & Medicum, ut potentem opere Medicum debere eſſe inſinuet: & ipſimet Hebræi volunt Raphaëlem Archangelum hujus artis opus exercuiſſe, ut inde diſcas mentem archangelicam te debere aſſequi, ut tam divinæ bene poſſis vacare ſcientiæ: imò & Chriſtus Dei Filius è cælis deſcendens totum hominem curaturus, ſeu corpus hominis & animam, Medici nomen non eſt dedignatus, ne quid indignum tanti Medici nomine & opere in hujus Artis mini-

ſterio ſuſcipias. Vides quàm à
juſtitiam in tuo Medici officio no
lex , chriſtianaque Religio exiga
Vide quam lucem & ſplendore
evangelica doctrina menti tuæ affe
re debeat : Medicus enim cæleſt
Chriſtus novum ſpiritum influit ,
quo animo noſtras affectiones pe
curavit , eo ſpiritu oblatis ægris m
delam afferas. Pertranſivit ille ben
faciendo & curando omnes , ut
ejus fretus auxilio & lumine , ſacr
rationibus & orationibus adjutus
*Lactant. de Caſtit. Virg. c. 6.* morbos ſanandos aggrediaris. H
erit , Iatrophile , Deo conſimilis
qui virtutem Dei cepit , & ſi ant
qui Medicum ἰσόθεον , ſeu Deo ſim
lem, vocitarunt , eò quòd Medicin
ſimul & Philoſophiæ conſuleret ; i
nova lege Medicus Chriſtianus ma
gis erit Chriſto ſimilis , ſi quo ſpiri
tu morborum curas ſuſcepit , e
ſuas Medicus perficiat. Formam ig
*Chryſoſt. hom. 12.* tur tuam , ſeu doctrinam, ſcientiam
virtutem & ſpiritum in formam tu
reduc Salvatoris , ut cæleſtis homo
cæleſti habitu jam gradiatur in te
ra. Sic debet inchoari , ſic debet ab

ſolvi Medicina Animi & Corporis, quæ ſi corpori tantùm inhæreat, mortem minatur; ſi verò corpori ſimul & menti, veram vitæ felicitatem pollicetur. Accipe illud dictum quod eſt Medicinæ noſtræ principium & finis.

SI TUUM MEDICINÆ STUDIUM AD ANIMUM DIREXERIS, REX ERIS; SI TANTUMMODO AD CORPUS, SERVUS ERIS.

---

## ERRATA.

| *Pag.* | *Linea* | *Lege* |
|---|---|---|
| 2. | 3. | quo fit ut omnium |
| 10. | 20. | Philenus Cous. |
| 15. | 21. | cenſeri debet |
| 28. | 14. | ſi Miniſter |
| 47. | 3. | ærumniis |
| 60. | 28. | excrementitia |
| 63. | 27. | partim per halitum |
| 72. | 16. | corporis textura |
| 87. | 16. | cave caudicem |
| 101. | 7. | licet auguſtus |
| 115. | 1. | ambigitur |
| 129. | 19. | intus tamen. |
| 136. | 15. | vitalem nullam |
| 139. | 19. | ſubſtantia quæ |
| 144. | 26. | Ex ſenſibus. |

## *APPROBATIO DOCTORUM Medicorum in Academia Pariſienſi.*

QUæ in hoc libro continentur è puriſſimis Medicinæ fontibus hauſta, & ſingulari pietate reddita ſunt : digniſſima verò quæ typis mandentur, quorum aſſiduâ lectione ſtudioſa Juventus tam ad medendum, quàm ad rectè piéque vivendum certè informari poſſit. Sic cenſemus.

GUIDO PATIN, Profeſſor Regius.
FONTAINE.
DE MERCENNE.
D. PUYLON, Decanus.

### *Extrait du Privilege du Roy.*

PAr Privilege du Roy, donné à Paris le 13. Octobre 1670 ſigné par le Roy en ſon Conſeil, PEPIN, & ſcellé, Il eſt permis à EDME COUTEROT Libraire à Paris : de faire imprimer le Livre intitulé, *Medicina Animi & Corporis, Authore Magiſtro* PAULO DU BE', *Doctore Medico*, durant le temps de ſept ans, à compter du jour qu'il ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois ; Et défenſes ſont faites à tous autres Libraires & Imprimeurs de l'imprimer & d'en vendre d'autre Impreſſion que de celle dudit Couterot, aux peines portées par ledit Privilege, & aux charges y contenuës.

*Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires-Imprimeurs de Paris le 6. Novembre 1670.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le dernier Iuillet 1671.

1460802

B.92.

XXX,
1-16

Google